


Google




1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

Quaestiones grammaticae
in

Velleium Paterculum.

Inaugural-Dissertation

verfasst und

der hohen philosophischen Facultät

der

vereinigten Friedrichs-Universität Halle-Wittenberg


zur

Erlangung der Doctorwürde

vorgelegt

von

Hans Felix
aus Halle a. S.



Halle a. S.,
Hof-Buchdruckerei von C. A. Kaemmerer & Co.
1886.



Parentibus carissimis

has primitias studiorum suorum

pio gratoque animo

dedicat

Auctor.



Quicunque in literis latinis versatus liberae rei publicae scriptores comparabit cum iis, qui Caesarum temporibus libros composuerunt, magnum discrimen inter eos interesse et illos multis rebus his praestare facile cognoscet. quam ob rem viri docti comparatione aetatum cum metallis facta, optimo iure semper auream, quae dicitur, aetatem linguae latinae ab argentea secreverunt. atque recentioris temporis scriptores Romanos ipsos non fugisse, linguam suam priorum esse postponendam, testis est Seneca, qui in epistula centesima decima quarta aetatis suae vitiosam et corruptam loquendi consuetudinem vituperat. iam quaerentibus nobis, quibus causis sit factum, ut studia literarum atque ipsa lingua Romanorum paulatim in deterius mutarentur, nulla maior occurrit, quam ipsum Caesarum imperium. nam cum antea unus quisque totum se rei publicae dedisset, omnes curas omnesque cogitationes ad salutem eius contulisset, administrandaeque civitatis partem cepisset, tum uno tractante rem publicam, iam non erat locus bene merendi de patria. remota igitur condicione, qua Roma urbs orbem terrarum in potestatem suam redegerat, imperii Romani opes viresque in dies magis frangi necesse fuisse, quis est quin intelligat?

Adde quod plerique imperatorum civitatem servitute oppressam tenebant et si quem libere cogitantem atque agentem viderent, non dubitabant eum interimere. quae cum ita essent, fieri non poterat, quin Romani, remoti a negotiis publicis, desidiae luxuriaeque se dederent et a maiorum virtutibus desciscerent.

Omnium autem civitatum exemplis satis probatur, artium studia vigere libera re publica, jacere libertate erepta. itaque, ut in re publica et in moribus Romanorum nihil inerat sani atque robusti, ita in literis quoque sanitatis ille color, quem in prioribus admiramur, paulatim evanuerat. venit mihi illud Solonis in mentem: *ὁ λόγος εἴδωλόν ἐστι τῶν ἔργων*, et Platonis: *οἷος ὁ λόγος τοιοῦτος ὁ τρόπος.* quae si vera dicta sunt, linguae latinae imprimis illam temporum iniquitatem detrimento esse necesse erat. ac re vera laborat argentea illa aetas vitiosa et corrupta loquendi consuetudine et si requirimus, quibus in rebus ab incorrupta latini sermonis integritate abhorreat et quibus potissimum laborat vitiis, tria imprimis invenimus quae ipsi quoque aequales, cum minime eos effugerent, reprehenderunt.

Ac primum quidem, cum quicunque libros componebat, ingeniosus haberi et ornatu verborum languentes fastidiososque animos aequalium sibi conciliare vellet, species quaedam ac pompa adhibebatur, oratio autem saepissime obscurabatur. accedit, cum omnes verbis exquisitis studerent, nimia illa insoliti consectatio et poetarum imitatio, quibus maxime delectabantur. quod vitium Quintilianus quoque sapientissimus talium rerum existimator, vituperat: lib. VIII. Prooem. 24. „*Nam est quod recte dici potest, circumimus amore verborum: et, quod uno verbo patet, pluribus oneramus: et, quod satis dictum est, repetimus: et pleraque significare melius putamus, quam dicere. quid? quod nihil iam proprium placet, dum parum creditur disertum, quod et alius dixisset? a corruptissimo quoque poetarum figuras seu translationes mutuamur, tum demum ingeniosi scilicet, si ad intellegendos nos opus sit ingenio.*“ qua in re haud parvi momenti rhetorum scholae recitationesque erant. summota enim occasione rei publicae moderandae dicendi vi, fieri non poterat, quin eloquentia vanissimam in ostentationem se converteret et Romani non tam verae declamandi rationi studerent, quam a simplici et subtili dicendi genere abalienati, oratione altius exaggerata uterentur, id quod eo magis ad corrumpendam linguam latinam valuit, quod nemo neque doctus neque

bene eruditus habebatur, nisi qui rhetorum scholis formatus institutusque erat.*)

Alterum vitium est, quod argenteae latinitatis scriptores orationis particulis nectendae non ita sunt studiosi; cum enim priores imprimis Cicero singulas sententias aptissimis quibusque coniunctionibus. quae dicuntur, nectere studeant, contra plerique argenteae aetatis scriptores neglêgentes, quomodo una sententia ex altera apta sit, legentis animo coniectandum relinquunt. quo factum est, ut numerus particularum, quas quidem plurimas priores usurpaverunt, magis magisque minueretur atque nonnullae ut: *quandoquidem*, *etsi*, *tametsi*, *utpote*, aliae in usu esse omnino desinerent. (cf. Zumpt, Berliner Jahrbücher 1837. No. 74). aliae nova ratione atque significatione adhibebantur; nam *mox* particula sumitur pro *deinde*, *quatenus* pro *quia* etc. *itaque, namque, quin etiam, quin immo, siquidem* particulae, quae primum semper enuntiationis locum apud priores tenent, a recentioribus secundo vel tertio loco collocantur. qua ex re audaciorem quoque frequentioremque participiorum usum ducendum esse, facile intellegitur.

Tertium est vitium latinitatis argenteae idque maximum, quod verborum componendorum ratio prorsus alia est atque aurea aetate; verba, quae priores in usu non habebant vel quae a poetis tantummodo adhibebantur, posteriores in usum converterunt, neque dubitaverunt, voces e quotidiano sermone petitas, quas erudite aureae aetatis scriptores in libros non admiserunt, arripere; nonnullis quoque alia significatio subiciebatur. itaque et obsoletorum et novorum verborum magnum numerum hac aetate invenimus, id quod idem Seneca epistula centesima decima quarta vituperat, cum paragrapho decima dicit: *Cum assuevit animus fastidire, quae ex more sunt et illi*

*) Adnot.: Illud quoque, quod Romani illius aetatis abstracte, ut nos dicimus loqui atque scribere assuescerent, id quod semper mentis linguae est (cf. Haase, Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft ed. Eckstein p. 154 et 69.) magnam partem inde factum est, cum rhetores saepissime de rebus, quae tangi et demonstrari non possunt, animo tamen cernuntur et intelleguntur, disputarent.

pro sordidis solita sunt, etiam in oratione quod novum est, quaerit et modo antiqua verba atque exoleta revocat ac profert, modo fingit et ignota deflectit, modo, id quod nuper increbuit, pro cultu habetur audax translatio ac frequens."

Accedit eo, quod illis temporibus ex provinciis urbibusque remotis multi homines Romam confluebant, qui sua dicendi consuetudine veterem Romanorum sermonem corrumpebant. imprimis autem Graecorum lingua latinam linguam commutatam atque depravatam esse, inter omnes constat. nam cum, quicunque artium studia adamaverat, multum in Graecis literis versaretur atque graece loqueretur, paulatim multa, quae propria sunt huius linguae ad latinam linguam transibant.

Sed expositis summatim, quibus potissimum laboret latinitas argentea vitiis, ad illud, quod explicandum mihi proposui, venio, ut quomodo cum temporum tum maxime linguae ruina ex **Velleii Paterculi** libris cognosci possit, perscruter. ut e magno scriptorum numero, qui Cæsarum temporibus libros composuere Velleium Paterculum potissimum eligerem, ea maxime re sum permotus, quod ille primus est scriptor illius ætatis, ideoque pretium operae esse putavi, argenteam, ut ita dicam, latinitatem huius scriptoris cognoscere et non solum quibus in rebus ab optimorum scriptorum dicendi ratione abhorreat, sed etiam, quae esset condicio aetatis eius, demonstrare. sed quia mihi persuasi, non satis mihi esse virium ad illam rem diligenter atque accurate perficiendam, praesertim cum pauci adhuc tali studio se dederint (cf. Bernhardy, Röm. Literatur-Gesch. p. 321) quorum ex operibus fructus in me redundarent, veniam peto, quod tale opus aggredi ausus sim.

Ac primum si licet, paucis explicabo, quemadmodum illorum temporum natura, quam prorsus aliam atque libera re publica fuisse scimus, apud Velleium Paterculum quoque perspiciatur, tum quibus in rebus ab optimorum scriptorum elocutione differat, videamus.

Quis igitur est, perlectis Velleii Paterculi libris, quin concedat, liberalitatem illam, qua priores usi sunt, qui non dubitarent, quaecunque sentiebant, libere dicere, omnino apud eum

desiderari? plane temporibus inserviit et pravam aetatis suae consuetudinem secutus unius imperium laudibus extulit celebravitque. sunt, qui dicant, Velleium historiam eo tantummodo consilio scripsisse, ut Tiberii Caesaris gratiam captaret, et adulationis aperte eum accusent. sed iidem non satis cognovisse mihi videntur, illum, qua esset mediocritate animi, aliter facere ac sentire non potuisse, quam omnes, qui pari essent loco et condicione, qui Caesaris sententias omnes probarent, et quodcunque ille faceret, optime factum esse crederent. itaque non adulandi studio sed naturae moribusque illius temporis tribuendum est, quod Velleius Tiberium aliosque non tales nobis descripsit, quales cum ex aliis tum ex Tacito, illustrissimo illo rerum scriptore, cognoscimus, immo vero Caesarem et omnes, qui ab eius partibus stabant, laudibus effert, in adversarios eorum vehementer invehitur, idque ex animi sui sententia, ut mihi quidem exploratum est. loquendi igitur libertatem, quam apud priores invenimus, tum sublatam fuisse, optimus nobis testis est Velleius. cf. verba Kritzii in Prolegg. ad Vell. Pat. p. XXI—XXXI, quibus hanc rem ad tempora non ad scriptoris naturam moresque referendam esse, optime nobis comprobavit et Sauppii in Mus. Helvet. 1827. I. p. 168, quae hoc loco affere mihi liceat: „*Wenn also der Unterschied zwischen Schmeichelei und einem bewussten Verkennen des Wahrheit und Oberflächlichkeit und Unselbstständigkeit des Urteils festgehalten wird, so glaube ich gezeigt zu haben, dass in Velleius weniger sich Schmeichelei finde, als unüberlegte Aufnahme und Wiedergabe des ihn in Reden und Thaten, dem Dunstkreis ähnlich, umschebenden Urtheils seiner Gesellschaft.*“

Quae cum ita fuerint Romae, certe mirandum est, quod recentiores, paucis exceptis, eum statum rerum non dico optimum iudicabant, sed minime cum priorum comparandum sibi persuaserant, tempora autem rei publicae liberae quasi vetera et obsoleta ducebant. tanta enim facta erat commutatio, ut multi illa tempora non sine horrore quodam recordarentur, sua autem laudarent, et quod sub Caesarum dominatione vivere sibi contigisset, vehementer gauderent. Velleium autem idem

sensisse, his locis nobis confirmatur: 1. 17,2 ut Livium quoque priorum aetati adstruas. 2. 78,3 Calvinus Domitius gravissimi comparandique antiquis exempli auctor fuit. 2. 80,3 non a Scipionibus aliisque veteribus Romanorum ducum quidquam ausum patratumque fortius quam tunc a Cæsare. 2. 92,5 quod ego factum cuilibet veterum consulum gloriæ comparandum reor.

Etiam de religione, qualis fuerit illis temporibus et quomodo ex Velleii historia cognoscatur verba mihi facienda esse puto. superstitio ac vana religio insitas dei cognitiones ex animis expulerunt et pauci adhuc erant, qui deos esse crederent, sed fatorum vi omnia regi ac gubernari fere omnes persuasum habebant. opinio igitur deorum et pietas, quas labefactas iam Horatius conquestus est, omnino interierant. Velleium autem æque atque æquales de rebus divinis sensisse argumento sunt multi loci, quibus non deorum numine, sed fatis hominum sortes gubernari contendit: cf. 2. 57,3 sed profecto ineluctabilis fatorum vis, cuiuscunque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit. 2. 66,5. dum hoc vel forte vel providentia vel utcunque constitutum rerum naturae corpus — manebit incolume. 2. 69,6 neque reperias, quos aut pronior fortuna comitata sit aut veluti fatigata maturius destituerit quam Brutum et Cassium. 2. 103,1 sed fortuna iam tum rei publicae sua praesidia reddiderat. 2. 116,3 utinam non maioribus experimentis testatum sit, quantum in omni re fortuna posset. 2. 118,4 obstabant iam fata consiliis omnemque animi eius (sc. Vari) aciem praestrinxerant, quippe ita res se habet, ut plerumque cuius fortunam mutaturus est deus, consilia corrumpat efficiatque, quod miserrimum est, ut quod accidit etiam merito accidisse videatur, et casus in culpam transeat. cf. etiam. 2. 1,4. 2. 47,2. 2. 53,3. 2. 60,1. 2. 79,3. 2. 110,1.

Aliud quoque vitium argenteae aetatis, nimia illa ostentatio, qua omnes laborabant, qui sive dignitate sive literis sive quavis alia re praeter ceteros florere sibi videbantur, qua Velleium quoque minime liberum fuisse constat, silentio mihi non praetereunda est. ubicunque enim Velleius Paterculus de se ipso vel de maioribus suis refert, temperare sibi



non potest, quin magna cum diligentia omnia quae et ipsi et familiae suae honori gloriaeque esse poterant, commemoret ita, ut totam fere vitam eius in libro expositam videamus. cf. 2. 76,1 quod alieno testimonium redderem, eo non fraudabo avum meum, quippe C. Velleius, honoratissimo inter illos trecentos et sexaginta iudices loco a Cn. Pompeio lectus, eiusdem Marcique Bruti ac Neronis præfectus fabrum, vir nulli secundus, etc. 2. 16,2 neqne ego verecundia domestici sanguinis gloriae quicquam, dum verum refero, subtraham, quippe multum Munatii Magii atavi mei Aeculanensis tribuendum est memoriae, qui etc. 2. 115,1 in qua regione, quali adiutore legatoque fratre meo Magio Celere Velleiano usus sit, ipsius patrisque eius praedicatione testatum est, et amplissimorum honorum, quibus triumphans eum Caesar donavit, signat memoria 2. 104,3 hoc tempus me functum ante tribunatu castrorum Ti. Caesaris militem fecit, quippe protinus ab adoptione missus cum eo praefectus equitum in Germaniam successor officii patris mei, caelestissimorum eius operum per annos continuos novem praefectus aut legatus spectator et pro captu mediocritatis meae adiutor fui. 2. 121,3 quem (sc. triumphum) mihi fratrique meo inter praecipuos praecipuisque donis adornatos viros comitari contigit. cf. praeterea 2. 52,4. 2. 69,5. 2. 101,2 et 3. 2. 113,3. 2. 111,3. 2. 114,1. 2.124,3 et 4.

Totam rationem porro, quam in historia componenda secutus est Velleius, moribus ac naturae illorum temporum omnino convenire, optime Sauppius in Mus. Helvet. 1837. I. p. 158 nobis comprobavit, cuius verba cum emendatione minime egeant, in memoriam revocasse satis habeo; hoc unum referam, Velleium non tam continuam rerum Romanarum historiam quam hominum rerumque maxime memorabilium enumerationem nobis dedisse.

Sed quoniam breviter exposui, quae ad naturam illorum temporum pertinent, et comprobavi Velleium Paterculum communium argenteae aetatis vitiorum minime expertem fuisse, ad alteram dissertationis partem venio, qua argenteae latinitatis vitia, num in Velleii quoque oratione invenirentur, inquirere propositum est.

Primum autem, si placet, verba faciam de orationis genere, deinde, quibus verbis Velleius primus usus sit indicabo, post, quibus aliam significationem atque apud optimos scriptores habebant, subiecerit, tum quibus in rebus ab optima loquendi consuetudine abhorreat. Postremo, quibus in rebus Velleii elocutio Graecorum lingua et sermone plebeio inquinata sit, perscrutabor.

caput I.

Ac primum quidem Velleium in oratione omni modo exornanda atque amplificanda operam consumpsisse, multae sunt res, quibus nobis probetur. sive enim rem laudat, sive vituperat, semper verbis eam auget et attributorum, quae dicuntur, modum nullum adhibere ei placet. ex infinito fere exemplorum numero, quorum magnam copiam iam Sauppius et Kritzius collegerunt, pauca decerpere mihi liceat, ex quibus rem ita esse optime cognoscatur. 2. 31,1 converterat Cn. Pompei persona tota in se terrarum orbem et per omnia maior civi habebatur. 2. 65,5. vivit (sc. Cicero) vivetque per omnem saeculorum memoriam, dumque hoc vel forte vel providentia vel utcunque constitutum rerum naturae corpus, quod ille paene solus Romanorum animo vidit, ingenio complexus est, eloquentia illuminavit, manebit incolume, comitem aevi sui laudem Ciceronis trahet, omnisque posteritas illius in te scripta mirabitur citiusque e mundo genus hominum quam Ciceronis nomen cedet. 2. 130,4 amissa mater eminentissima et per omnia deis quam hominibus similior femina 2. 51,3 Balbus excedente humanam fidem temeritate ingressus castra. 2. 91,3. neque multo post Rufus Egnatius, per omnia gladiatori quam senatori propior, cum esset omni flagitiorum scelerumque conscientia mersus nec melior illi res familiaris quam mens foret, interimere Cæsarem statuit.

Veritatis illam superlationem et traiectionem cognoscimus ex his quoque verbis, quae quotiens et quam multa Velleius adhibuerit, certe mirandum est: cælestis, cælestissimus, clarissimus, eminens, eminentissimus, fulgentissimus, immanis, in-

credibilis, inenarrabilis, magnificentissimus; claritudo, fulgor; eminere, fulgere, illuminare, lucere, nitere, prænitere, alia. quacum re quodam quasi vinculo coniunctum est quod valde delectatur verborum redundantia, ita ut fere semper unam rem pluribus vocibus eloqui assueverit, ut: fugare ac fundere 1. 9,4. 1. 12,2. 2. 32,4. 2. 37,2. 2. 46,2. 2. 112,2. maximus nobilissimusque 1. 9,5. prisca illa et vetus comoedia 1. 16,4. nec quisquam ullius gentis hominum 2. 4,3. hirdus atque horridus 2. 11,1. etc., quae res ita perspicua est, ut exemplis eam probare supervacaneum mihi videatur.

Adde quod Velleius nimio illo delectandi studio ductus et semper orationis gratæ atque iucundæ studiosus sæpissime contraria contrariis refert et sententiis argutis animos capit. cuius quoque rei pauca exempla, cum numerus eorum sit maximus, afferre mihi liceat. 1. 12,2. magis quia volebant Romani, quidquid de Carthaginiensibus diceretur, credere quam quia credenda afferebantur 2. 5,3 tantum effecit spes desperatione quæsita 2. 11,1 quantum bello optimus, tantum pace pessimus 2. 26,2 in qua civitate semper virtutibus certatum erat, certabatur sceleribus, optimusque sibi videbatur, qui fuerat pessimus 2. 49,4. Lentulus salva re publica salvus esse non poterat. 2. 58,3 Pompeio, cui modo ad victoriam terra defuerat, defuit ad sepulturam. 2, 85,3 Antonius, qui in desertores saevire debuerat, desertor exercitus sui factus est 2. 91,2. quod vi facere voluerant, iure passi sunt. 2. 117,2 Varus Syriam pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit. al. Porro Velleius æqualium exemplum secutus, qui ingeniosi semper atque faceti haberi vellent, ut sermonem omnibus, qui librum suum legebant, commendaret, crebris sententiis eam exornare studebat. hae autem sententiae apud Velleium inveniuntur: 1. 9, 6 adhaeret altissimis invidia. 1. 12, 7 adeo odium certaminibus ortum ultra metum durat et ne in victis quidem deponitur, neque invisum esse desiit, quam esse desiit. 1. 17,6 alit æmulatio ingenia et nunc invidia nunc admiratio imitationem accendit. 2. 10, 1 adeo natura a rectis in prava, a pravis in vitia, a vitiis in præcipitia pervenitur. 2. 11,3

apparet quemadmodum urbium imperiorumque ita gentium nunc florere fortunam nunc interire. 2. 30,3 adeo familiare est hominibus omnia sibi ignoscere nihil aliis remittere et invidiam rerum non ad causam sed ad voluntatem personasque dirigere. 2. 36,3 nam vivorum ut magna admiratio ita censura difficilis est. 2. 40,5 numquam eminentia invidia carent. 2 82,2 aluntur vitia assentationibus. 2. 53,2 sed quis in adversis beneficiorum servat memoriam? aut quis ullam calamitosis deberi putat gratiam? aut quando fortuna non mutat fidem? beneficiorum memoria erga infelices nulla esse solet. 2. 102,3 etenim semper magnae fortunæ comes adest adulatio. sententias, quæ pertinent ad fati vim, iam supra commemoravi.

Accedit similium vel imaginum usus, quae multa apud Velleium inveniuntur, oratorum vel poetarum more. 1. 5,1 clarissimum deinde Homeri illuxit ingenium. 1. 16,1 quæ (sc. festinatio) me rotæ pronive gurgitis ac verticis modo numquam patitur consistere. ibid. 2 et quemadmodum clausa capso aliove sæpto diversi generis animalia nihilo minus separata alienis in unum quæque corpus congregantur etc. ibid 4 ingenia Socratico ore defluentia. 2. 4,6 Roma extulerat caput. 2. 53, 3 collisa inter se duo rei publicæ capita. 2. 36,1 divus Augustus omnibus omnium gentium viris inducturus caliginem 2. 41,1 consulatus C. Cæsaris, qui scribenti manum injicit. 2. 129,3 Tiberius Maroboduum inhærentem occupati regni finibus velut serpentem abstrusam terræ salubribus consiliorum medicamentis coegit egredi. 2. 29,2 armorum furorem sopire.

Sed exempla, quæ attuli huius dicendi generis, quamquam permulta alia enumerare possum, sufficere puto. oratores porro Velleius imitatus est, cum multas interrogationes multasque exclamationes orationi inseruit. exstant interrogationes: 1. 16,4. 2. 42,2. 2. 53, 2. 2. 75,2. 2. 111,4. 2. 122. 2. 129. 2. 130,2. exclamationes 1. 7,3. 2. 28,3. 2. 52,5. 2. 106,1 2. 114,1. nec silentio prætereundum est hoc loco, quoties Conjunctivum Perfecti posuerit Velleius, ubi de sua sententia iudicavit, qua ex re urbanitas quædam atque modestia cognos-

citur. nam hoc quoque modo legentium animos sibi conciliare studebat. cf. 1. 7,2. quibus equidem assenserim. 1. 7,4. 1. 8,4. libenter assenserim 1. 11,6. 1. 15,3. 1. 18,2. neque ego hoc miratus sim. 2. 24,4. 2. 53,4.

Sequitur ut nimiam poetarum imitationem, quæ imprimis argenteæ latinitatis est propria, apud Velleium quoque inveniri, exemplis comprobem. sæpissime poetico quodam colore animos delectare eum studere, quis est, quem fugiat? cf. 1. 18,3 nisi Thebas unum os Pindari illuminaret. 2. 3,3 hoc initium in urbe Roma civilis sanguinis gladiorumque impunitátis fuit 2. 27,2 numquam defuturos raptores Italicae libertatis lupos, nisi silva in quam refugere solerent esset excisa. 2. 48,3 bello civili et tot malis non alius maiorem suciecit facem. 2. 51,2 mare præsidiis classium sæpserat 2. 64,3 aeternas notas memoriæ inurere. 2. 91,2 multo varioque Marte pacari. (cf. 2. 55,3). 2. 68,1 umbram actæ rei capere. 2.90,1. coaluere, quæ tam longa series armorum laceraverat. 2. 107,1 ripa armata hostium inventute fulget. alia.

Eidem studio tribuendum est, quod Velleius æque atque æquales abstractis et inanimatarum rerum nominibus animum subdit et adiectiva. quae tantum hominum nominibus adduntur, etiam rerum vocabulis tribuit cf. 1. 16,3 una ætas illustravit tragœdiam, una priscam illam et veterem comœdiam. 2. 31, 3 oculi urbis Romæ. 2. 65,3 vidit hic annus Ventidium. 2. 90,3 illæ provinciæ Scipiones consumpserunt, illæ bello maiores nostros exercuerunt. 2. 104,3 hoc tempus me mililtem fecit. 2. 115,4 illa ætas maximi belli consummavit effectus (cf. Bötticher, Lexicon Taciteum Prolegg. p. I. XLIX.).

Adiectiva rerum nominibus addita exstant. 2. 7,3 crudeles quæstiones. 2. 21,3 atrox prœlium. 2. 22,1 pestifer reditus. 2 61,6 nuda fuga. 2. 76,2 muliebris fuga. 2. 117,1 epistulæ funestæ 2. 120,3. nava virilisque opera.

Jam sequuntur verba, quæ in librum ille admisit, cum poetis solis concessa sint, et quibus eadem significatione usus est Velleius qua poetæ.

Aevum dicitur tempus, quod initium quidem habet, sed fine caret; significat igitur temporis perpetuitatem. a poetis ævum ponitur pro quocunque temporis spatio, quos Velleius secutus est. 2. 26,1 ævum paternum. 2. 36,3 nostrum ævum. 2. 89,6 omne ævi sui spatium impendere in alqd.

Alloquium est allocutio, sermo cum alio habitus, primum invenitur apud poetas (Horat. Epod. 13,18. Ovid. Trist. 1. 4,3. ibid. 7,17). Sed Livius quoque poetarum exemplo hac voce usus est. 1, 34. 24,24. Vell. 2. 123, 3 subrefectus conspectu alloquioque.

Amplexus actus amplectenti, praeeuntibus poetis posuit Vell. 2. 123,2 circumfundi amplexibus alicuius (cf. Verg. Aen. 1. 687. Orid. Met. 11, 228 ire in amplexus. ibid. 9.52.).

Arcus. ita a poetis Iris appellari solet (Verg. Aen. 5,88. Georg. 1. 381. Propert. 3. 3,54. Horat. Ars pœt. 18. Tibull. 1. 4,38.) Vell. 2. 59,6 solis orbis in colorem arcus rodundatus conspectus est.

Auspicium. auspicio alicuius pro duce, imperatore aliquo imprimis poetae dicunt. Vell. 2. 49,1 auspiciis Pompeii. 2, 129,4 auspiciis consiliisque alcjs. 2. 115,3 (Verg. Ovid. Horat.).

Candor transfertur ad animi virtutes et sumitur pro sinceritate, probitate. Ovid. Pont. 2,55 candor in hoc aevo res intermortua paene. ibid. 4,13. Trist. 3. 67. candor animi. Vell 2. 116, 5 neque enim iustus sine mendacio candor apud bonos crimini est.

Caput fluminis, id est fons. Vell. 2. 105,3 ad caput Lupiae fluminis hiberna locare (Horat. Carm. 1. 1,22. Lucret. 4,729.).

Dotes. idem est ac virtutes (Ovid. Met. 9. 746. dos formæ Ars am. 2. 112 dos ingenii. Heroid. 15, 146.) Vell. 1. 12,3 omnibus belli ac togæ dotibus ingeniique ac studiorum eminentissimus.

Eloquium idem fere est atque eloquentia. Vell. 2. 68,2 Cælius vir eloquio animoque Curioni simillimus (Verg. Aen. 9,383. tonare eloquio. Ovid. Pont. 2. 2. 51 nitor eloquii.).

Finis pro morte usurpatur. Vell. 1. 123,2 nec quidquam



iam de fine si fata poscerent recusans (cf. Horat. Carm. 1. 11,2. Ep. 2. 11. 12.,.

Fragmen. Lucret. 1. 285. decursus aquai fragmina coniciens silvarum arbustaque tota. Verg. Aen. 10.36 fragmina remorum. Ovid. Met. 11. 561. navigii. Vell. 2. 3,2 fragmine subsellii ictus.

Fulgor praeeuntibus Ovidio (Trist. 5. 12,39) et Horatio (Ep. 2. 1,13) translate de dignitate dicitur. Vell. 2. 4,6 avitus fulgor. 2. 99,2 fulgor alcjs obstat alci.

Lima translate sumitur pro emendatione, expolitione scripti alcjs. Ovid. Pont. 1. 5,19 incipiam lima mordacius uti. Pont. 2 4,17. Horat. Ars poet. 291 si non offenderet unum quemque poetarum limae labor et mora. Vell. 2. 9,3 in illis limae in hoc paene plus videtur fuisse sanguinis.

Lux idem est ac vita. Vell. 2.66,4 lucem rapere alci. cf.Verg. Aen. 4.31. Georg. 4. 255.

Mortales sunt homines, ita plerumque poetae. Vell. 2. 42,3 aliquot naves multosque mortales cepit.

Orbis usurpatur pro orbe terrarum, Ovid. Fasti 1. 85 Jupiter arce sua totum cum spectet in orbem. Fast. 5, 93 hic ubi nunc Roma est orbis caput. Vell. 2. 124,1 cuius orbis ruinam timueramus eum ne commotum quidem sensimus.

Pacta est sponsa. Verg. Aen. 10,79. Quid soceros legere et gremiis abducere pactas. Vell. 1. 1,3 nam quod pactae eius nuptias occupaverat, Delphis eum interfecit.

Praesagium idem ac praesensio, divinatio. Ovid. Met. 6. 510 timuitque suae praesagia mentis ibid. 15. 878. Vell. 2. 57,1 cum plurima ei praesagia dii obtulissent.

Priores sunt maiores. Verg. Aen. 3. 693. Ovid. Met. 10. 218 more priorum. Vell. 2. 28,1 imperium, quo priores usi erant.

Pythius nomen proprie adiectivum Graecum, quo significatur apud poetas Appollo. Ovid. Met. 1. 4,38. Hor. Carm. 1. 16,3. quos Velleius secutus dicit 1. 2,1 cum Pythius respondisset.

Raptor vox poetica (Plaut. Ovid. Met. 10,540 raptores

lupi. ibid. 8. 438. Verg. Aen. 2. 336. Propert.) Vell. 2. 27,2 raptores Italicae libertatis lupi.

Sanguis sunt liberi (Horat. Carm. 4. 2,41. Ars poet. 292. Verg. Aen. 6. 836. Tibull. 1. 6,66.). Vell. 1. 10,5 quae vox veluti oraculo emissa magna parta eum spoliavit sanguinis sui.

Situs translate sumitur pro squalore, illuvie, qua obducuntur res diu neglectae uno in loco. Tibull. 1. 11,10 tristia duri militis in tenebris occupat arma situs. Ovid. Amor. 1 8,51. Vell. 2 126,2. sepultae ac situ obsitae iustitia, aequitas, industria civitati redditae.

Superi sunt superstites, viventes, quibus opponuntur mortui. (cf. Verg. Aen. 6. 128.) Vell. 2. 48,2 quam apud superos habuerat magnitudinem, inlibatam detulisset ad inferos.

Vigor saepissime usurpatur a poetis pro robore. Verg. Aen. 6. 730. Ovid. Heroid. 16,51 vigor animi. Horat. Vell. 1. 10,3 vigor eloquentiae. 2. 18,5 vigor ingenii atque animi.

Adiectiva repperi haec:

Agilis, qua voce Ovidius im primis usus esse videtur, (cf. Heroid. 15,65. Amor. 2. 4,27. saepius.) Velleius eadem significatione qua Horatius posuit pro prompto ad agendum, celere. (cf. Horat. Ep. 1. 1,16 saepius.) 2. 105. 1 vir multiplex virtutibus, gnarus, agilis, prudens, etc.

Celeber translate est, qui colitur, laudatur. Horat. Carm. 2. 12,20 Diana celebris. Tibull. 1. 1,33 celeber Messala triumphis. Vell. 2 17,2. 2. 18,5. 2. 116,2.

Cognominis, qui est eiusdem nominis cum alio. Verg. Aen. 6. 383 gaudet cognomine terra. Plaut. Bacch. 1. 1,5 duae germanae meretrices cognomines. Vell. 1. 1,1 Teucer cognominem patriae suae Salamina constituit.

Conspicuus. poetae hanc vocem ponunt pro insigni, illustri. Horat. Carm. 3. 16,18 late conspicuum tollere verticem Tibull. 3. 3,4. Ovid. Heroid. 5. 139. Vell. 2. 35,1 virtus conspicua.

Exsomnis est insomnis, vigilans Verg. Aen. 6,556 vestibulum exsomnis servat noctesque diesque. Vell. 2. 88,2 C. Maecenas vir sane exsomnis 2. 127,4 animo exsomnis.

Fugax. Verg. Aen. 10,725 fugax caprea. Horat. Carm. 3. 2,14. ibid. 3. 13. Ovid. Met. 13,807. Vell. 2. 85,5 fugacissimi milites.

Gravis idem est ac languens, onere oppressus, tardus. (Verg. Ovid. Horat.) Vell. 2. 55,4 gravis vulnere. 2. 76,1 gravis iam aetate et corpore.

Horrendus pro horribili in poetarum usu est cf. Verg. Aen. 3. 26. Horat. Carm. 4. 14,27. Ovid. Met. 15,298. id. Fast 6. 140. Vell. 2. 100,2 horrenda tempestas erupit.

Immunis a poetis cum genetivo conjungitur et sumitur pro experti alcjs rei. (Verg. Horat. Ovid.) Vell. 2 7,2 immunis delictorum paternorum.

Impatiens alcjs rei sum, poetae soli dicunt. cf. Verg. Aen. 11. 639. Ovid. Trist. 5. 2,3. Met. 3. 322. Vell. 2. 23,1 Marius quietis impatientissimus.

Ineluctabilis, qui evitari non potest. Verg. Aen. 2. 324 Venit summa dies et ineluctabile tempus Dardaniae. ibid. 8. 324. Vell. 2. 57,3 ineluctabilis vis fatorum.

Interritus pro non territo, intrepido. Ovid Met. 5,506 Vell. 2. 70,2 Cervicem interritus liberto tradidit.

Obsitus. translate est tectus, obtectus. Horat. Carm. 1. 18,12. Ovid. Met. 4,724. Verg. Aen. 7,790. Vell. 2. 126. 2. sepultae ac situ obsitae iustitia, aequitas, etc.

Pernix pro veloci, celeri a poetis tantummodo usurpatur Plaut. Miles. 3. 1,36 pernix sum manibus. Verg. Aen. 11. 718. Catull. 2. 12. Horat. Ars poet. 165. Vell. 2. 34,1 iuvenes velocitate pernices.

Rasilis vox poetica est lēvis, politus. Vell. 2. 56,2 argentum rasile.

Rebellis. Verg. Aen. 12. 185 nec post arma ulla rebelles Aeneadae referent. ibid. 6. 858. Ovid. Remed. am. 246. Vell. 2. 90,1 Delmatia annos viginti et ducentos rebellis.

Secundus nulli idem est atque a nullo superatus, nulli posthabendus. hoc modo a poetis solis adhibetur, quos imitatus est Velleius. 2. 11,1 Q. Metellus nulli secundus saeculi sui. 2. 76,1 C. Velleius vir nulli secundus.

Sequuntur *verba* quae Velleius more atque exemplo poetarum posuit.

Ac primum poetas secutus est Velleius cum pro verbis compositis simplicia posuit, id quod saepissime apud illos invenimus.

Cedere ponitur pro *concedere*. 2. 85,5 cedere victoriam.

Ciere pro *conciere* 1. 2,2 rixam ciere. 2. 54,2 bellum ciere. 2. 75,1. 2. 129,3.

Fluere pro *diffluere* 1. 6,2 mollitiis fluere 2. 82,2 ultra feminam fluere.

Linquere pro *relinquere* 1. 9,4 Macedoniam linquere.

Quatere pro *concutere*. 2. 110,6 animum alcjs.

Rupere pro *eripere* 2. 66,4 rapuisti tu M. Ciceroni lucem sollicitam.

Statuere pro *constituere*. 1. 12,1. 1. 14,2. 2. 60,5. 2. 79,1. 2. 91,3. 2. 95,1. 2. 109,5.

Tendere pro *contendere aliquo*. 2. 20,3 in Campaniam tendere 2. 115. 2 tendere ad Tiberium imperatorem.

Tum commemoranda sunt haec:

Assuescere pro assuefacere dicunt poetae (Horat. Sat. 1. 2,109.) Vell. 2. 79,1 contrahendo militi ac remigi navalibusque assuescendo certaminibus praefectus est M. Agrippa.

Astruere translate latiore significatione pro addere, tribuere invenitur apud Ovidium solum. Ars am. 2. 119 iam molire animum qui duret et adstrue formae. saepius apud argenteae latinitatis scriptores. (Plin. Tac. Quint. Mart.) Vell. 2. 52,2 vix quidquam eius gloriae adstruxit illa victoria.

Auferre transfertur ad mortem, praeuntibus poetis. (Horat. Carm. 2. 16,29. Catull. 3.15.) Vell. 2. 55,4 Labienum Varumque acies abstulit 2. 15,3 id bellum amplius trecenta milia iuventutis Italicæ abstulit.

Autumare est idem ac dicere, nominare; saepius exstat apud priores rarius apud aureæ ætatis poetas (Plaut. Ter.). Vell. 1. 6,4 Elissa Tyria, quam quidam Dido autumant.

Circumvolare, vox a poetis tantummodo usurpata. Verg. Aen. 6,687. Horat. Carm. 1. 2,33. id Sat. 2. 1,58. Ovid. Met.

2,719. Velleius translate dixit: circumvolare ordines. 2. 27,2.

Compescere idem est ac cohibere, coercere. (Plaut. Lucret. Horat. Ovid. Tibull.) Vell. 2. 12,6 armis compescere alqm.

Debellare, pugnando bellum finire, apud Vergilium solum invenitur. Aen. 6. 853. Vell. 2. 84,1 debellatum apud Actium.

Depudet. hoc verbum Ovidius solus videtur usurpasse. (Heroid. 4. 155 depuduit profugusque pudor sua signa reliquit. Amor. 3. 11,4 et quæ depuduit ferre, tulisse pudet.) Vell. 2. 73,3 depudet alqm. alqd. facere.

Descendere in campum Vell. 2. 92,2. est magistratum petere. cf. Horat. Carm. 3. 1,11.

Emerere idem fere est quod merere. Plaut. Aul. 4. 10,5. Propert. 4. 11,61. Ovid. Ars am. 3. 409. Vell. 2. 66,1 cum ambo mallent sibi nuntiari quid passi essent, quam quid emeruissent. (Halmius legi vult: meruissent.)

Emicare, Vell. 2. 70,5 cum mucronem gladii admovisset mamillæ ad eum locum, qua cor emicat. (cf. Plaut. Aul. 4. 3,4 cor emicat in pectus.)

Eniti est parĕre, partum in lucem edere. Verg. Aen. 3. 391. Ovid. Met. 3,344 enixa est utero infantem. Vell. 2. 95,1 quem intra Cæsaris penates enixa erat Livia. 2. 104,1 M. Agrippa, quem post mortem Agrippae Julia enixa erat.

Eruere, præeunte Vergilio (Aen. 2. 4, et 611) est destruere, evertere. Vell. 1. 13,1 eruit funditus Corinthum. 2. 38,2 eruta Carthagine. 2. 27,2 vociferabatur eruendam delendamque urbem.

Imputare est assignare, adscribere. Ovid. Met. 2,400. ibid. 15,470 mortem senioribus imputet annis. Saepissime ita recentiores (Val. Max. Plin. Tac. Quint. Senec.) Vell. 2. 23,4 si quis hoc rebellandi tempus imputat Atheniensibus etc.

Jncingere pro circumdare, praeeunte Ovidio, Velleius usurpavit 2. 108,1. incinctos Hercynia silva campos incolere.

Marcere idem est ac torpere, languere. Lucret. 3,960 Ovid. Amor. 1. 14,41 Liv. 23. 45. Vell. 2. 84,1. in illa (sc. parte) marcebant omnia.

Moliri pro exstruere dicit Vergilius Aen. 7, 127 et. 290. ibid. 3. 132 muros urbis. ibid 4. 309 classem. Vell 1. 8,3. 2. 1,2. moliri porticus. 1. 11,5 aedem ex marmore. 2. 130,1 templum.

Obire pro mortem, diem supremum obire. Vell. 2. 47,2. 2. 59,2 2. 102,1. cf. Lucret. 3,1056. Plaut. Epid. 3. 4,76. Horat. Carm. 3. 9,24.

Occupare est ferire Verg. Aen. 9. 770. gladio occupare alqm. ibid. 9. 609. Ovid. Met. 3. 48. Propert. 4. 4,28. Vell. 2. 57,1 incautus ab ingratis occupatus est.

Praefulgere vox poetica, quam Velleius translate usurpavit 1. 14,4 nam militarium (sc. coloniarum) et causa et auctores ex ipsarum præfulgent nomine cf. Verg. Aen. 8,552.

Praenitere Horat. Carm. 1. 33,4 cur tibi iunior læsa præniteat fide. Vell. 2. 35,1 prænitens virtus Catonis. 2. 39,3 prænitet forum Augusti titulis victorum gentium.

Promere est eloqui, explicare. Plaut. Asin. 1. 1,10. Horat. Carm. 1. 34,14. id. Ep. 2,1. 104. clienti promere iura. Vell. 2. 48,5 harum rerum ordo cum iustis aliorum voluminibus promatur, tum nostris explicabitur.

Rapere se. cf. Horat. Sat. 2. 7,117. Vell. 2. 85,6 rapere se præcipiti fuga.

Reddere spiritum pro mori dicit Velleius 2. 87,1. reddere animam 2. 123,3 præeuntibus poetis. cf. Ovid. Trist. 3. 3,35.

Refovere pro reficere positum est. 2. 113,2 vires exercitus ex itinere, Ovidii exemplo (Met. 8. 536. Heroid. 11,58.)

Refulgere vox poetis propria cf. Verg. Aen. 1,406. ibid. 2,590. 8,625. Horat. Carm. 2. 12. 27. Ovid. Ars. am. 721. translate ea usus est Velleius 2. 103,5 tum refulsit certa spes liberorum parentibus.

Relegare est translate assignare, attribuere. Tibull. 1. 6,5 illa quidem ornandi causas tibi diva relegat. Vell. 1. 44,2. 2. 64,2 invidiam relegare in alqm.

Reluctari est resistere, repugnare. Verg. Georg. 4. 301. Vell. 2. 102,3 deinde reluctatus invitusque revertens in Italiam morbo obiit.

Revolare idem est ac celeriter redire. Ovid. Met. 7. 684. Vell. 2. 120,1 revolat ad patrem. 2. 123,1.

Signare dicitur de scribente. Ovid. Met. 2. 326 corpora dant tumulo signantque hoc carmine saxum. Verg. Aen. 3,387 rem carmine signo. Plaut. Rud. 5. 2,7. Vell. 1. 16,1 rem stilo signare.

Sopire. Ovid. Met. 7. 149 pervigilem herbis sopire draconem. Tibull. 3. 4,19. Vell. 2. 125,3 translate dicit: tumultum sopire.

Sumere animum praeeunte Ovidio Fast. 1,147. dicit Vell. 2. 17,3 L. Cornelius Sulla ex successu animum sumpsit.

Tumescere a poetis solis usurpatur (Verg. Ovid.) pro gliscere, clam moveri. Vell. 2. 15,1 tumescens bellum.

Poetarum imitationi mea quidem sententia liberior quoque illa verborum collocatio tribuenda est, quae cognoscitur ex eo, quod Velleius verba sensu cohaerentia saepissime uno aut pluribus interpositis disiungere solet. Minime enim Kritzii sententiam probare possum, qui hoc sermonis familiaris negligentia ortum esse dicit (Prolegg. p. LXXIII.), cum equidem persuasum habeam, sermonem communem nulli rei magis quam perspicuitati studuisse et ab quaesita verborum structura abhorruisse. cf. 2. 14,1 hunc finem clarissimus iuvenis vitae habuit. 2. 34,2 ne ab huius quidem usura gloriae temperavit animum. 2. 59,4 Cæsar ad erudiendam liberalibus disciplinis singularis indolem iuvenis Apolloniam eum miserat. 2. 100,1 sensit terrarum orbis digressum a custodia Neronem urbis. 2. 111,3 partem exercitus ab urbe traditi ab Augusto perduxi ad filium. al.

Illud quoque, quod qualitas aut natura, ut ita dicam, quam res habet, ab ea disiungitur et per se sumitur, quasi ipsa sit res, id quod rarissime apud priores reperitur, cum proprium sit linguae labentis, apud Velleium non semel invenimus. 2. 104,3 caelestissimorum eius operum spectator et pro captu *mediocritatis meae* adiutor fui. 2, 111,3 habuit in hoc quoque bello *mediocritas nostra* speciosi ministerii locum.

2. 94,4 si *illa maiestas* privata umquam fuerit. 2. 129,3 pace *maiestatis* eius dixerim. 2. 96,1 mors deinde Agrippae, qui *novitatem* suam multis rebus nobilitaverat, admovit propius Neronem Cæsari. 2. 129,2 quibus *iuventam* eius exaggeravit honoribus! 2. 102,1 quem veluti moderatorem *iuventae* filii sui Augustus esse voluerat.

Sæpius rerum qualitates eodem modo per se ponuntur. 1. 9,6 Pauli triumphus omnium ante actorum *comparationem* amplitudine vicit. 2. 27,6 *felicitatem diei* Sulla perpetua ludorum circensium honoravit memoria. 2. 50,3 *fectinationem* itineris eius aliquamdiu morata est Massilia. 2. 72,1 *temeritas* facti. 1. 11,1 Pseudophilippus a *mendacio* simulatae originis appellatus. (cf. Tac. Ann. 15,38 ignis vento citus longitudinem circi corripuit. Liv. 28,12 illum equitem sex dierum spatio transcurrisse longitudinem Italiae.)

caput II.

Orationis genere in universum explicato, deinceps videndum est, quibus verbis primus sit usus Velleius.

Repperi autem haec substantiva:

Consummatio pro perfectione, absolutione 2. 116,4 A Licinius Nerva Silianus consummatione evectae in altissimum paternumque fastigium imaginis defectus est. eadem significatione exstat verbum apud Senec. Brevit. vitae. 1. Quint. 2 18,2. Colum. Plim. ambos.

Conversatio est consuetudo, familiaritas, convictus. 2. 102,3 nec defuit conversatio hominum vitia eius assentatione alentium (Senec. Tac. Quint.)

Exsultatio, actus exsultandi 2. 104,4 at vero militum conspectu eius elicitae gaudio lacrimae, alacritasque et salutationis nova quaedam exsultatio (cf. Plin. 8. 80,1. Quint. 2. 2,12.).

Ordinatio pro dispositione, distributione. 2. 124,3 post reditum caelo patrem primum principalium eius operum fuit ordiniatio comitiorum (Plin. ep 9. 28. Suet. Aug. 31. Nero. 40.).

Patratio est effectio, perfectio alcjs rei. 2. 98,2 belli patra-

tio. obsceno sensu hoc verbo usus est vetus scholiast. ad Pers. 1.18.

Praedatio actus praedandi. 2. 73,3 latrociniis ac praedationibus infestatummarc. cf. Tac. An. 12,29.

Substantiva exeuntia in *us* syllabam:

Adhortatus 2. 89,4 adhortatu principis. (Cicero dicit: *hortatu.)* praeter locum Velleianum semel tantummodo hoc verbum invenitur. (Apul. Apolog. prope finem: rem familiarem meo adhortatu filiis condonasset.)

Intellectus est intelligentia, refertur ad perceptionem, quae sensu fit; ita saepius Plinius hoc verbo usus est. Vell. 1. 13,5 magis pro republica fuit, manere adhuc rudem Corinthiorum intellectum, quam in tantum ea intellegi.

Praeparatus idem est ac præparatio. 2. 76,3 præparatus in Antonium (Halmius legit: apparatus). cf. Gell. 10,11 in præparatu rei rusticæ.

Transcursus actus transcurrendi, transcursio. (Senec. Suet.) Velleius translate dicit: 2. 55,1 admonet promissæ brevitatis fides, quanto omnia transcursu dicenda sint. 2. 91,1 in hoc transcursu tam artati operis. 2. 99,3 illud etiam in hoc transcursu dicendum est.

Substantivum in us syllabam secundæ declinationis, quæ dicitur, est:

Capsus, i. nomen eiusdem originis ac capsa, est locus sudibus vel alia re conclusus, in quo animalia continentur. Vell. 1. 16,2 quemadmodum clausa capso aliove sæpto diversi generis animalia nihilo minus separata alienis in unum quœque corpus congregantur, ita etc. (cf. Vitruv. capsus redae.)

Substantiva exeuntia in *or* syllabam:

Admirator, qui admiratur 1. 13,3 quippe Scipio tam elegans liberalium studiorum omnisque doctrinae et auctor et admirator fuit. Pro *aestimatore* sumitur a Seneca ep. 94. 71. Quint. 2.5,21 admirator nimius antiquitatis. Phaedr. 4.21 Simonides admirator maximus.

Exsecutor 2.45,1 P. Clodius malorum propositorum exsecutor acerrimus. apud ICt. est punitor, ultor. eodem sensu exstat apud Suet. Vesp. 14 offensarum inimicitiarumque minime memor executore.

Interemptor. 2.129,1 qua ille prudentia Rhascupolim interepmtorem fratris Romam evocavit! cf. Senec. ep. 70.14 interemptorem sui heri fieri.

Scalptor qui scalpit 1,17,4 hoc idem evenisse grammaticis, plastis, pictoribus, scalptoribus, quisquis temporum institerit notis, reperiet. eandem vocem Velleius 1.11,4 pluribus verbis explicat. cuius turmae (sc. statuarum) hanc causam referunt, Magnum Alexandrum impetrasse a Lysippo *singulari talium auctore operum*, ut etc. (Plin. saepius.)

abstractum in *or*, quod aqud Velleium primum invenies, est:

Marcor. id est putredo, tabes, languor. transfertur ad animum 2.119,2 exercitus marcore ducis usque ad internecionem trucidatus est. cf. Senec. Tranquill. 2. 10. Stat. Theb. 8, 265.

Substantiva exeuntia in *ium*:

Adiutorium idem atque auxilium. cf. Senec. ep. 31. 5. a Quintiliano sumitur pro subsidio 3. 6,83. 3. 9,4. 12. 10,43. Vell. 2. 112,4 quippe magnam Thracum manum Thraciae rex in adiutorium eius belli secum trahebat.

Effluvium, effluendi actus. 2. 120,1 Caldus Caelius catenarum seriem ita inlisit capiti suo, ut protinus pariter sanguinis cerebrique effluvio exspiraret. Tac. Ann. 12. 71 convivium effluvio lacus appositum. Plin. 7. 52,1.

Exercitium idem est atque exercitatio. 2. 109,1 corpus suum custodientium imperium perpetuis exercitiis paene ad Romanae disciplinae formam redactum est. Tac. Ann. 2. 55 exercitio equitum interesse.

Septennium apud Velleium primum exstat, quamquam dubium non esse puto, quin iam antea in usu fuerit. 2. 31,3 Sed tamen idem hoc ante septennium decretum erat.

Novum substantivum in *tas* syllabam est:

Civilitas. est ea virtus, quae in comitate quadam et modestia constituta est et ad vitam publicam pertinet. 2. 111,4 quanto cum temperamento simul civitatis res auctoritate imperatoria agi vidimus! (Quint. 2. 15,33. Suet. Aug. 51.)

in *um* syllabam.

Meridianum. ab adiectivo meridianus. est plaga orbis ad

meridiem sita. 2. 126,3 quidquid meridiano aut septentrione finitur cf. Plin. 7. 2,17 in meridianis Indiae.

De substantivorum apud Velleium usu haec addenda sunt. verba antiqua, quibus Velleius usus est, sunt haec.

Dominium pro dominatione, imperio. 2. 80,4 rerum suarum (Varro R. R. 2,6.)

Regimen 2. 85,2 classis (Enn. Lucret.)

Antiquior forma substantivorum, quae exeunt in *tudo* vel *tas* syllabas est in *tudo*. apud optimos scriptores plerumque invenitur forma in tas. Velleius illam antiquam praeferens dicit claritudo 2. 11,3. 2. 17,2. 2. 130,1. necessitudo 2. 50,1. celsitudo 2. 94,2.

Duorum substantivorum genus discrepat apud Velleium ab optima loquendi consuetudine: *linter* fere feminimi generis est, masculini tantummodo apud Tibull. 2, 5,34. et Vell 2. 107,2. *dies* est feminini generis 2. 18,2. 2. 21,1. 2. 27,3. 2. 42,3. 2. 103,4. masc. gen. 2. 76,6. 2. 29,2. 2. 35,1. 2. 112,7. (cf. Reisig. Ling. Lat. ed Haase p. 148. adnot. 168.)

Formae quas rarius reperies apud ceteros scriptores, sunt:

classi. Abl. pro classe. 2. 79,2. (classe scripsit Vell. 2. 79,1.)

igne Abl. pro igni. 2. 125,4. melior et usitatior est forma *igni*, quam quoque invenimus. 2. 74,4.

ioci pro *ioca* 2, 67,4. *loci* pro *loca* 1. 4,6. 2. 107,3. 2. 108,2. 2. 116,1.

plebei Genit. 2. 111,3 tribuni plebei.

cervix pro plurali numero *cervices*, quem optimi scriptores semper usurpaverunt. 2. 4,5. 2. 6,6. 2. 69,2. 2. 70,2. (cf. Quint. 8,3 cervicem videtur Hortensius primus dixisse, nam veteres pluraliter appellabant.)

haec substantiva abstracta Velleius primus plurali numero posuit:

amplexus. 2. 123,2. *convictus* 2. 33,4. *emptiones* 2. 81,3. iurisdictiones 2. 117,4.

Adiectiva, quibus Velleius primus videtur usus esse repperi haec:

Caeruleatus (ἅπαξ λεγόμενον) Adi. a caeruleus. 2. 83,2 Plancus cum caeruleatus et nudus Glaucum saltasset.

Infestatus Part. ab infestare. 2. 73,3 latrocinis ac praedationibus infestatum mare.

Inimitabilis, quem imitari non possumus. 2. 79,3 morum certe dulcedo ac par sui aestimatio inimitabilis fuisse dicitur. (Quint.)

Inquies idem est atque inquietus. 2. 68,3 vir inquies. 2. 77,2 animus. (Plin. Tac.)

Lacernatus participiorum more a lacerna effictus, idem ac lacerna indutus. 2. 10,3 cum inermis et lacernatus esset. Iuvenal 1. 62. Suet. Nero. 28.

Prosa (oratio) 1. 17,3 profectum prosae eloquentiae decus. cf. Quint. 10. 1. a. med. Gell. 12. 12,2 apud Ciceronem invenies etiam in prosa oratione quaedam, ex quibus etc. inde a Velleio saepius.

Sacerdotalis. 2. 124,4 mihi fratique meo proxime a nobilissimis ac sacerdotalibus viris destinari praetoribus contigit. Plin. ep. 7. 24. saepissime deinde apud rerum ecclesiasticarum scriptores..

Subrefectus (ἅπαξ λεγόμενον) Participium ab inusitato *subreficere* est aliquantum refectus. 2. 123,2 subrefectus primo adspectu.

Comparativi et Superlativi, qui apud Velleium primum inveniuntur sunt:
convenientior 1. 13,5. flagrantior 2. 48,3. moderatior 2. 126,3. pressius 2. 129,3. pronior 2. 69,6. affectissimus 2. 84,2. caelestissimus 2. 66,3. 2. 104,3. convenientissimus 1. 6,3. cruentissimus 2.52,3. distractissimus 2. 114,1. eminentissimus 1. 12,3 2. 17,3. 2. 22,2. 2. 43,3. 2. 71,2. 2. 72,3. 2. 75,3. 2. 101,2. 2. 111,3. excelentissimus 2. 41,1. excelsissimus 2. 96,3. 2. 22,1. 2. 101,1. 2. 114,4. fulgentissimus 2. 71,1. 2. 64,3 honoratissimus 2. 76,1. impatientissimus 2. 23,1. mixtissimus. 2. 89,3. serissimus 2. 131,2. verecundissimus 2. 33,3.

Comparativi et Superlativi vis augetur apud Velleium adverbio *longe*, id quod inde a Livio usitatius esse coepit.

cf. 2. 6,1 longe praestantior. 2. 6,2. 2. 40,3. 2. 45,5. longe maximus 2. 119,4. saepius.

Adverbia, quae apud Velleium primum exstant, sunt haec:

Furto pro furtim. 2. 63,1 furto creatus pontifex. (Plin. 8 46,1 hyaenae parere furtim cupiunt.)

Honorate Adv. ab honoratus 2. 129,3 quam illum ut honorate sic secure continet. (Tac. hist. 4.63 honorate alqm. custodire. Val. Max. 2. 10. n. 2.)

Infacete est minime facete, insulse 2. 33,4 Lucullum haud infacete Magnus Pompeius Xerxen togatum vocare assueverat.

Privato 2. 99,4 pro privatim. convenire alqm: privato. (privato semel tantummodo reperitur Liv. fragm. apud Priscian. 15. p. 1009. privato nos tenuisse.)

Secure Adv. a securus. 2. 129,3. eadem significatione exstat apud Val. Max. 4. 7. n. 1. externa Suet. Tib. 20. Plin. 35,8,2.

Tergisversanter (ἅπαξ λεγόμενον) 1. 9,3 L. Aemilius Paulus, qui ad Cannas quam tergisversanter perniciosam pugnam inierat, tam fortiter in ea mortem obierat. (*tergisversari* saepius invenitur apud Cic. Liv. alios.)

Verba, quae apud Velleium primum inveniuntur, sunt haec:

Auctorare est obligare, vendere alci. speciatim gladiatores auctorare se dicebantur. 2. 30,1 Romanis certam victoriam, partibus suis excidium, sibi turpissimam mortem pessimo auctoravit facinore.

Circumnavigare (ἅπαξ λεγόμενον) est circa navigare 2. 106,3 classis quae Oceani circumnavigaverat sinus.

Dispungere ante Velleium scriptum non invenitur, quamquam non dubium est, quin antea in usu fuerit. 1. 13,3 neque enim quisquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit. cf. Senec. Brevit. vit. 7 dispunge et recense vitae tuae dies.

Exarmare est arma detrahere, armis spoliare 2. 17,1 Romani victis adflictisque ipsi exarmati quam integri universis civitatem dare maluerant. 2. 25,3 consul exarmatus.

Excalcari est calceos sibi detrahere. 2. 41,3 ita se apud eos gessit, ut neque umquam aut nocte aut die aut excalcearetur aut discingeretur. (Suet. Vitell. 2. ut sibi pedes praeberet excalceandos.

Elanguescere. verb. inchoativ. ab elangueo. 2. 111,4 viribus èlanguescere. (Plin.)

Innutrire idem est atque educare. 2. 94,2 Tib. Claudius Nero, innutritus caelestium praeceptorum disciplinis. (Plin. ep. 9,33. Suet. Aug. 3. Plin. Paneg. 16.)

Repensare frequentativ. a rependere idem est ac rependere vel compensare. 2. 21,4 cuius interitus voluptas amissorum aut gladio aut morbo civium paene damno repensata est. (Senec. Apul.)

caput III.

Aliud est argenteae latinitatis, quod multis vocibus alia significatio atque apud optimos scriptores habebant, tribuitur. apud Velleium quoque magnum verborum numerum invenimus, quibus ille novam vim dedit.

Repperi autem substantiva haec:

Actus sensu passivo idem est ac negotium, res gerenda. 2. 127,4 Seianus Aelius, vir severitatis laetissimae, hilaritatis priscae, actu otiosis simillimus etc. priores hac voce utuntur aut activo aut passivo sensu de ipsa actione vel motu aut de gestu et motu corporis histrionum et saltatorum. eodem sensu, quo Velleius vocem posuit, exstat apud Suet. Aug. 78. Claud. 30. apud Quint. 11,1. in ceteris actibus vitae al.

Assentatio a Cicerone malo sensu sumitur (cf. Att. 13. 28 assentatio turpis. Amic. 24. assentatio vitiorum adiutrix.) Velleius bono sensu usurpat pro assensu. 2. 128,3 qui M. Tullio tantum tribuere ut paene assentatione sua, quibus vellet, principatus conciliaret.

Auctor sumitur pro scriptore 1. 7,2 historiarum. 2. 9,5. 2. 36,2 carminum.

Auctoramentum 2. 28,3. 2. 66,3. dicitur speciatim de mercede, quae dabatur gladiatoribus ad faciendos ludos conductis. Velleius ceterique recentioris ætatis scriptores pro quocunque commodo aut praemio hac voce utuntur. 2. 28,3 in qua civitate petulantis convicii iudicium histrioni ex albo redditur in ea iugulati civis Romani publice constituebatur auctoramentum.

Censura, quod proprie est munus censorum (cf. Cic. Invent. 1. 30. Ovid. Fast. 6. 647. agere censuram.) a Velleio translate dicitur pro iudicio. examine 2. 36,3 vivorum ut magna admiratio ita censura difficilis est. eodem sensu exstat apud Gell. 12,2 facere censuram de ingenio et scriptis alcjs. Plin. 14. 8,10.

Confinium, quod apud Ciceronem est finis sive terminus plurium agrorum communis, translate dicitur a Velleio de qualibet viciuitate. 2. 124,1 in quam arto salutis exitiique fuerimus confinio, neque mihi exprimere vacat, nec etc.

Confusio translate sumitur pro perturbatione 2. 124,1 quae senatus trepidatio, quae populi confusio! inde saepius. cf. Tac. hist. 3,38 Plin. Paneg. 86.

Contemptus ponitur a prioribus passiva ratione. (Lucret. 3. 65. Ovid. Met. 8. 859. Cæs. B. G. 2. 30.) activa exstat apud Vell. 2. 60. 3 neque is erat contemptus sed metus cf. Tac. dialog. 29. contemptus sui alienique.

Digestio actus digerendi, distributio. Vell. 2. 53,4 digestio annorum. Cicero orat. 3. 53. ad fin. numerat digestionem inter figuras rhetoricas et videtur intellegere partitionem et distributionem. digestio praeterea est cibi distributio stomacho excepti in venas et membra corporis.

Excessus apud Cic. tantummodo de morte usurpatur, apud Velleium et posteriores est actus excedendi. 1. 15,1 neque dum Hannibal in Italia moratur, neque proximis post excessum eius annis etc.

Fastigium proprie est cacumen; cf. Cic. orat. 3. 46 capitolii fastigium. Velleius translate sumit fastigium de dignitate altoque fortunae statu. 1. 11,6 principale in re publica fasti-

gium. 2. 56,3 in summum fastigium evehi. 2. 69,1 consulare fastigium. 2. 131,1. (Val. Max. Plin. Quint. Iuvenal.)

Globus proprie est corpus solidum undecunque rotundum (cf. Cic. Nat. D. 2. 18.) et dicitur non solum de sphaeris aut de terra sed de omnibus rebus rotundis. (cf. Plaut. Poen. a. 2 V. 35. Ovid. Met. 12,238.) Velleius ponit pro multitudine hominum. 2. 58,2 hi una cum coniurationis globo Capitolium occupavere.

Incrementum dicitur translate pro augmento dignitatis. 2. 34,3 omnia incrementa sua sibi debere. 2. 51,3.

Maturitas dicitur de exacta prudentia et peritia. 2. 125,3 sed haec omnia veteris imperatoris maturitas brevi sopiit ac sustulit. cf. Tac. hist. 1. 87. Cicero ponit hanc vocem sensu concreto pro fructu maturo aut refert ad tempus et est tempus maturum, tempestivitas; translate sumitur quoque pro opportunitate.

Observantia est, inquit Cicero, Invent. 2. 22., per quam aetate aut sapientia aut honore aut aliqua dignitate antecedentes veremur et colimus, apud Velleium autem est observatio, animadversio. 2. 106,3 temporum observantia.

Pax significatio argenteae aetatis propria, qua significatur imperium Romanum neque internis neque externis perturbatum hostibus. 2, 131,2 custodite servate, protegite hunc statum, hanc pacem etc. Tac. Ann. 12. 33 qui pacem nostram timebant.

Quies pro somnio usurpatur 2. 70,1 manifesta denuntiatione quietis terreri.

Securitas est vacuitas curae. cf. Cic. Tusc. 5,14 securitatem autem nunc appello vacuitatem aegritudinis, in qua vita beata posita est; apud Velleium est securitas, in qua aliquis tutus est a re. 2. 98,1 Pisonem hodieque diligentissimum atque eundem lenissimum securitatis urbanae custodem habemus. 2. 89,4. 2. 118,2. 2. 128,4.

Series. proprie est ordo et progressio quaedam rerum invicem nexarum. cf. Curt. 3,1 series vinculorum Vell. 2. 120,6 catenarum series. Cicero hac voce tantummodo translate est usus Nat. D. 1,4. admirabilis quaedam continuatio seriesque rerum.

Orat. 2,16 series disputationum. Divin. 1,55 ordo seriesque causarum.

Status idem est ac status rerum 2. 131,1 custodite, servate, protegite hunc statum. optimi scriptores non omiserunt genet. *rerum*.

Tempestas rarius a prioribus pro tempore ponitur, saepius a Velleio. 1. 2,5. 1. 8,6. 2. 78,3. etc. propria significatione exstat. 1. 1,1. 2. 75,1. 2. 100,2.

Tractus saepe sumitur a Velleio de cursu et spatio temporis. tractus temporis vel temporum invenies 1. 6,4. 1. 7,2. 2. 15,3. 2. 9,1. 2. 78,1. eodem sensu quo Cicero voce usus est, posuit 1. 2,3 ultimus Hispaniae tractus. 2. 104,3 tractus omnis Galliae provinciarum. 2. 110,2. 2. 94,4. 2. 126,3.

Umbra. singularis est usus huius vocis apud Vell. 2. 68,1 neque enim persona umbram actae rei capit. (denn die Persönlichkeit erlaubt nicht, dass die Begebenheit mit Stillschweigen übergangen wird.)

Vexillarius proprie est signifer. cf. Liv. 8,8 ordo sexagenos milites et duos, centurionem et vexillarium unum habet. imperatorum temporibus vexillarii dicti sunt milites, qui per viginti annos stipendia fecerant, sed nondum dimissi erant. 2. 110,6 magnus vexillariorum numerus ad internecionem caesus.

Vindicta est ultio vel animadversio peccati; apud Velleium autem est defensio, conservatio. 2. 64,4 utrique vindicta libertatis morte stetit. proprio sensu invenitur. 2. 92,3 vindictam minari. 2. 114,3 visa ultio privato odio magis quam publicae vindictae data.

Adiectiva, quibus aliam vim dedit Velleius, repperi haec:

Auspicatus proprie idem est atque auguratus aut consecratus; a Velleio sumitur pro fausto, felici. 2. 79,2 auspicatis ominibus uxorem ducere.

Classicus refertur ad classem et idem est ac navalis. 2. 81,3 corona classica. 2. 85,1 classicum certamen. 2. 121,1 vires classicae. Gell. 7. 13 dicit classicos appellatos esse a

Catone non omnes, qui in classibns erant, (quibus partes vel ordines populi significabantur) sed primae tantum classis homines.

Citerior ab optimis scriptoribus numquam est positum de tempore; ita hoc vocabulum usurpavit Velleius 1. 17,2 in antiquius citeriusve procedere.

Celeber est qui frequentatur; inde translate a recentioribus sumitur pro claro, praeclaro. 1. 9,5 triumphi celebres. 2. 7,5 celeberrimum vinum. 2. 8,3 porticus celebres. 2. 12,2 nomen celeberrimum. 2. 17,2 celeberrimi duces. praeterea: 2. 58,4. 2. 77,3. 2. 116,2. 2. 125,5. proprio sensu exstat. 2. 91,1 Alpes feris incultisque nationibus celebres. 2. 104,3 celeberrima pars Italiae.

Effusus transfertur ad loca et idem est ac vastus, patens. 2. 43,1 effusissimus maris Adriatici sinus. cf. Tac. Germ. 31 effusa loca. apud Ciceronem idem est ac profusus. cf. Vell. 2. 41,1 munificentia effusissimus.

Fatalis mors est, quae non subito sed secundum naturam venit et opponitur violentae morti. 2. 4,6 seu fatalem seu conflatam insidiis mortem obiit. 2. 49,1 fatali morte fungi. propria est haec significatio vocis Velleii et a nullo alio ita usurpatur.

Principalis proprie est primus aut praecipuus; ab argenteae aetatis scriptoribus dicitur de rebus, quae ad principem, id est ad Cæsarem, pertinent. 2. 56,3 principalis quies. 2. 93,2 ministeria principalia. 2. 124,3 principalia opera. 2. 127,3 principalia onera.

Pronus est favens, studiosus. 1. 9,2 quin Rhodii quoque proniores regis partibus visi sunt. 2. 69,6 neque reperias, quos pronior fortuna comitata sit. (ita saepius Tac.) propriam vim habet 1. 16,1 gurges pronus.

Unicus idem est ac singularis, praecipuus et sumitur ab optimis scriptoribus tantummodo in bonam partem. Velleius dicit in malam partem. 2. 7,2 huic atrocitati adiectum scelus unicum.

Verba, quae novam habent significationem apud Velleium sunt haec:

Abutor proprie est male utor; a Velleio adhibetur in bonam partem 2. 105,2 otio liberaliter abuti. (eodem autem modo apud Ciceronem quoque positum invenimus. Nat. D. 2,60 nos sagacitate canum ad utilitatem nostram abutimur.)

Accedere significat assentiri. 1. 8,5 libenter iis, qui ita prodiderunt, accesserim. cf. Quint. 9,4 initio. Nep. Miltiad. 3.

Adire nomen (ἅπαξ λεγόμενον) pro suscipere nomen 2. 60,1 non placebat Atiae matri Philippoque vitrico adiri nomen invidiosae fortunae Cæsaris.

Adjicere est loquendo addere. 2. 27,2. 2. 31,1. 2. 104,1 et 4. 2. 114,3. ita imprimis Taciti in usu est.

Asserere idem est ac vindicare. 2. 60,1 asserebant fata conditorem conservatoremque Romani nominis.

Astruere proprie est iuxta struere, translate sumitur pro addere, superaddere. 2. 55,2 nam victus ab eo Pharnaces vix quidquam gloriae eius adstruxit; ita saepius apud alios quoque invenitur. pro attribuere, adnumerare Velleius primus posuisse videtur. 1. 17,2. ut Livium quoque priorum aetati adstruas. (cf. Martial. 3,20.)

Auspicari ab optimis scriptoribus sumitur tantummodo pro auspicium capere. apud recentiores saepe positum est pro incipere, aggredi ad alqd. Vell. 2. 101,3 militiae gradum auspicari.

Consumere dicitur pro absumere, interficere. 2. 52,6 acie consumi. 2. 90,3 illae provinciae Scipiones consumpserunt. proprio sensu exstat. 2. 12,3 tertius (sc. consulatus) in apparatu belli consumptus.

Destruere proprio tantummodo sensu apud priores invenitur. Velleius dicit translate 2. 48,2 qui si ante biennium decessisset in Campania, defuisset fortunae destruendi eius locus. cf. Quint. 1.10. sub. fin. destruere tyrannidem. Curt. 8,14 destruere magnitudinem alcjs.

Discordare est translate dissimilem esse 2. 53,3 in tantum in illo viro a se discordante fortuna, ut etc. eodem modo Quint. verbum ponit. 8,3. ante med. id. 11,3.

Illicere ab optimis scriptoribus adhibetur in malam partem; ita Vell. 2. 13,2 veluti inescandae illiciendaeque multi-

tudinis causa; in bonam autem partem dixit 2. 98,4 principes viri adhortatu principis at ornandam urbem illecti sunt.

Implere ponitur pro praestare, perficere. 2. 95,3 implere censorem. cf. Tac. Ann. 3,53 implere munia sua.

Imputare pro assignare, adscribere et fere in malam partem apud argenteae aetatis scriptores solos invenitur. 2. 23,4 si quis hoc rebellandi tempus imputatAtheniensibus, nimirum veri vetustatisque ignarus est.

Nitere est translate florere, clarum esse. 1. 17,1 subpari aetate nitere. 2. 9,1 eodem tractu temporum nituerunt oratores Scipio etc.

Notare est breviter tangere, commemorare. 2. 10,2 notetur Domitiae familiae felicitas. 2. 11,3 Cæcilae (sc. familiae) notanda est claritudo.

Praedicere apud Ciceronem idem est ac praenuntiare, denuntiare, indicere; apud Velleium proprie est antea sive prius dicere. cf. ut praediximus 1. 12,1. 1. 15,4. 2. 12,2. 2. 21,4. saepius. praedictus 2. 107,1.

Praescribere eadem ratione est ante seu prius scribere. 2. 21,1 ut praescripsimus.

Procumbere vox imprimis poetis familiaris, a Velleio translate sumitur. 2. 16,4 fluentem procumbentemque rem populi Romani restituere.

Praestare se aurea aetate numquam in malam partem dicitur. Velleius autem dicit 2. 21,1 se dubium mediumque partibus praestare.

Protegere translate est celare 2. 100,5 nequitiam supercilio truci protegere. cf. Quint. 8,1 parricidii immanitatem metu maiore protegere.

Recurrere tropice exstat. 2. 4,6 decessit anno ferme LVI. de quo si quis ambigat, recurrat a priorem eius consulatum.

Signare proprie est signum imprimere; inde variam habet significationem. pro ostendere, explicare usurpatur tantummodo a recentioribus. Vell. 2. 115,1 quali adiutore legatoque fratre meo Magio Celere Velleiano usus sit, amplissimorum honorum signat memoria. ita saepius Quint.

Subtexere proprie est contexere, subnectere; inde translate sumitur pro scribendo addere, subiungere. 1. 14,1 rei alqd. subtexere.

Transcendere translate de oratione dicitur. 2. 130,3 ut ad maiora transcendam. ita Quint. quoque. 7,1. a. med.

Transgredi pro silentio praeterire exstat 2. 108,1 nulla festinatio huius viri mentionem transgredi debet.

caput IV.

De ratione syntactica.

Sed enumeratis vocibus et quas Velleius primus usurpavit et quibus novam significationem dedit, sequitur ut, quae in ratione syntactica novaverit, explicem.

Ac primum quidem genetivi usus apud Velleium non abhorret a priorum dicendi ratione, cum illi iam hunc casum liberius adhibuerint. apud Velleium solum inveniri videtur genetivus pretii *tanti* pendens ex verbo habitandi. 2. 10,1 si quis tanti habitet, etc.

Dativi usus apud recentiores latius patet quam aurea aetate latinitatis, quia illi multa verba cum simplicia tum potissimum composita cum dativo coniunxerunt, cum priores praepositiones ponerent vel apud verba composita eam repeterent. neque id tantummodo de dativo dicendum est, sed etiam accusativi et ablativi eadem ratione pendent ex verbis, quae Cicero et Cæsar cum praepositionibus coniunxerunt.

Sequitur dativus apud Velleium haec verba:

iungere, quod Cicero fere nunquam sine praepositione *cum* (excepto participio *iunctus*) ponit. 2. 80,2 Lepidus exercitum Pompei sibi iunxerat. 2. 92,4 speravit ut praeturam aedilitati ita consulatum praeturae se iuncturum. 2. 106,3. 2. 110,4. veri simile igitur est propter comparationem his quoque locis verbum iungendi cum dativo coniunctum esse. 2. 52,2 castris Pompei sua iungere. 2. 76,2 Domitium iunxit Antonio. 2. 110,5 consilio belli bellum iungere. 2. 112,4 Rhoemetalces iunctus

praedictis ducibus. 2. 118,3 decretis facta iungere

miscere 2. 5,3 mixtus timori pudor. 2. 86,3 cum se partibus eius miscuisset.

alienare. 2. 112,7 Agrippa patris atque eiusdem avi sui animum alienavit sibi.

alia verba ut *copulare*, *destinare*, *parare*, *servare*, al., quae a Velleio cum dativo coniunguntur, apud optimos quoque scriptores ita usurpata inveniuntur. abhorret autem Velleius ab optima dicendi ratione cum verbum *aequare* cum dativo coniungit. 2. 99,1 Nero aequatus Augusto. 2. 88,3 aequetur praedictae iam Antistii Servilia Lepidi uxor. 2. 127,1. 2. 4,2.

Dativus sequitur haec verba composita:

accedere = hinzukommen, hinzugefügt werden. 2. 26,3 quantum huius gloriae famaeque accessit! = beipflichten. 1. 8,5 libenter iis accesserim. (Cic. et Caes. accedere ad.)

adharerere 1. 9,6 invidia altissimis adhaeret. dativus pro *in* praepos. inde a Livio usitatior esse coepit.

adjicio. 2. 7,2 huic atrocitati adiectum scelus unicum. 2. 36,1. 2. 100,1. 2. 104,1. (Cic. et Cæs. hoc verbum et cum dativo et cum praepositione coniungunt, Velleius cum solo dativo.)

admovere. 2. 70,5 mucronem mamillae. 2. 96,1 Neronem propius Cæsari. (Cic. et Cæs. aut ad aut dat.)

advolvi. 2. 80,4 genibus alcjs. (inde a Livio.)

aggregare. 2. 51,1 comites fortuna ei aggregaverat. 2. 91,3 aggregatis sibi simillimis. pro aggregare ad. (Cic.)

appelli. 2. 107,3 ripae appelli. cum acc. coniunctum exstat 1. 1,1. Cyprum appulsus. Cicero aut acc. aut praepos. ponit. cum dat. Velleius primus coniunxit. (Liv.: ad.)

assuescere. 2. 117,2 militiae assuetus. dat. dubius est: 2. 29,5 commilitio assuetus. 2. 79, 1 navalibus certaminibus assuescere.

conferre cum *in* aut *ad* praepositionibus coniungitur 2. 76,3. 2. 115,1. cum dat. 1. 9,6.

praepositio verbum *coniungere* sequitur, excepto uno loco. 2. 79,1. consultis facta coniungere.

illidere cum dat. coniunctum exstat 2. 120,4. catenarum seriem capiti illidere. cum praepositione *in* 2. 7,2.

immiscere. 1. 2,1 immixtus castris. (inde a Livio.)

injicere. 2. 33,4 moles mari. injicere in 2. 19,2.

inniti genibus (Poet. recc.) 2. 83,2.

inserere. 2. 103,4 manus coelo. (Poet. Liv.) huic loco inserere. 1. 14,1. tantae rerum magnitudini alqd. 2. 107,1.

insistere. 1. 17,4 notis temporum. 2. 3,1 summis gradibus. pro insistere in (Cic. Cæs.)

interponere 1. 11,4. 2. 7,4. 2. 50,3. (Cic. tantummodo: se interponere rei.)

praeparare. 2. 109,2. maiori operi praeparare alqm. pro praeparare ad.

prosternere. 2. 114,4. pedibus pro ad pedes.

summittere. 2. 37,4. alicui. (Poet. Senec.)

Hæc *adiectiva* priores non cum dativo coniunxerunt:

absurdus. 2. 38,1. (semel a Tac. Ann. 12,9 ita dictum est.)

cognominis. 1. 1,1 patriae suae. *discors.* 2. 37,3 patri. *diversus.* 2. 75,2 praesentibus. 2. 80,2 diversa iis, quae aliis placebant. *habilis.* 2. 110,3. 2. 113,2. (Cic. ad) *idoneus* 2. 12,2. (Cæs. ad aut dat.) *pronus.* 1. 9,2. *secundus.* 2. 76,1.

Accusativus sequitur apud Velleium multa verba, quae ab optimis scriptoribus intransitive ponuntur.

auspicari. 2. 101,2 militiae gradum. (ita verbum tantummodo a recentioribus usurpatur.)

cedere. 2. 85,5 victoriam.

concedere. 1. 3,2. 2. 77,2 in hoc foedere placuit Siciliam Achaiamque Pompeio concedere.

contingere. 1. 1,4 sors Tyrrhenum contigit. (Plin.)

descendere. 2. 54,4. descendens (Halmius: ascendens) montem Tifata. Cic. (Cæs. ex, de, ab.)

eniti. 2. 95,1 alqm. (inde a Livio.)

excedere. (inde a Livio.) 1. 9,6. 1. 16,1 formam propositi. 2 51,3. 2. 56,3. humanam fidem. 2. 66,3. 2. 122,2 modum.

intellegere. 2. 114,5 alqm. 2. 116,4 (Poet. recc.)

invadere hostes. 2. 112,6 pro in hostes.

invehi urbem 2. 30,2. cum praepos. *in* coniunctum exstat 2. 42,2. 2. 35,2.

penetrare 2. 5,1. 2. 40,1. 2. 47,1. 2. 105,1. intransitive positum est 2. 120,2. cum praepos. in coniunctum 2. 15,1.

praecedere. 2. 129,3 nuntios periculi victoriae praecedit nuntius. (Poet. recc.) Cic. et Caes.tr anslate tantummodo hoc verbum ponunt pro anteire, praestare; ita Velleius quoque 2. 114,1 gradum nostrum aut praecedentes aut sequentes.

respectare. 2. 107,2 Caesarem. (Poet.)

verba *demerere* et *silere* transitivorum more a Velleio usurpata esse ex eo cognoscimus, quod formae passivae personaliter dicuntur. 2. 102,1 vir demerendis hominibus genitus. 2. 18,1 Mithridates vir neque silendus neque dicendus sine cura.

de accusativi usu praeterea haec sunt commemoranda, in quibus Velleius ab optima loquendi consuetudine dicrepat. 2. 80,2 totam victoriam ut suam interpretabatur. 2. 83,2 idem postea clementiam victoris pro sua virtute interpretabatur. 2. 10,1 vix ut senator agnoscitur. 2. 4,7 creari in consulatum.

Restat ut videamus, quibus in rebus ablativi usus apud Velleium a priorum loquendi ratione abhorreat.

Ablativus sequitur haec verba simplicia.

movere. 1. 10,6 alqm senatu. (Cic. de senatu.)

pellere 2. 5,2. 2. 34,4 2. 79,6. cum praepositione *ex* coniunctum est 1. 3,1. 2. 20,3.

vindicare 2. 28,2 maximis periculis. eodem modo quo apud Cic. dicitur, cum praepositione ab, invenies 2. 4,3. 2. 126,4.

Verba composita cum ablativo coniunguntur haec:

abire 2. 35,5 vita abiit. (Cic. e vita.)

decurrere 2. 3,2 clivo. (Caes. Liv. ex.)

decurrare 2. 3,4 recto. (Plin. Quint.)

defluere 1. 16,4 ore Socratico. (Cic. ab.)

dejicere 2. 24,2 saxo. (Cic. de.)

deterrere 2. 5,3 proposito. (Cic. a.)

digredi 1. 2,2 finibus. (Cic. ex loco.)

excire 2. 108,1 sedibus. (Liv.)

extrahere 2. 19,2. arundineto.
proficisci 1. 4,4 eadem Germania. 2. 62,3 urbe atque Italia.
recedere 2. 55,3 vestigio. (Cic. Caes. ex. de.)
separare 1. 16,2 alienis (Cic. ab.)

cum ablativo sine praepositione semper Velleius ponit verba *nasci* et *gigni*. 2. 92,2 matre genitus. 2. 10,2 singulis parentibus geniti. 2. 41,1. 2. 59,2 familia genitus. 2. 127,3 patre natus. 2. 47,2. 2. 88,1. Julia. Junia natus.

Ablativus sequitur adiectivum *immunis* 2. 35,2. 2. 46,2. 2. 115,2. 2. 120,2. (Ovid. Liv.)

Ablativi modi, qui apud Velleium primum inveniuntur sunt: gradu = schrittweise 2. 1,1. triumpho = im Triumphe 2. 42,3. partibus = teilweise 2. 38,1. 2. 114,1.

Ablativo, qui significat aliquem causa quadam commotum aliquid facere, optimi scriptores plerumque participia ut: commotus, inflammatus, incitatus al. addunt. Velleius hoc fere neglexit cf. 1. 4,3. 1. 12,5. 2. 3,3. 2. 24,2. 2. 38,6. 2. 62,6. 2. 70,2. 2. 83,1. saepius.

caput V.

De praepositionibus.

Praepositionibus Velleius eadem fere ratione usus est atque aureae latinitatis scriptores et paucis tantummodo in rebus ab eorum loquendi consuetudine abhorret.

Ad positum est pro in 2. 120,2 mitti ad Germaniam. 2. 82,1 saevire ad Orientem. (qui usus secundo demum saeculo post Chr. n. usitatior esse coepit.)

ad idem est ac praeterea. 2. 113,1 ad hoc.

Circa praepositione utitur Velleius de tempore (optimi scriptores. circiter ita adhibuerunt) 1. 6,5. 1. 10,6. 2. 8,2. 2. 92,1 2. 93,1. id quod inde a Velleio saepius fit.

de loco 2. 4,2. 2. 28,1. 2. 32,4. 2. 68,2.

circa pro *circiter* (inde a Livio) invenitur 1. 7,1 Hesio-

dus circa centum et viginti annos distinctus ab Homeri aetate.

Infra imprimis a recentioribus de gradu dicitur. Vell. 2. 83,1 infra servos cliens. 2. 120,1 se infra aliorum aestimationes metiri

Intra Cic. et Cæs. numquam de tempore dicunt. (cf. Draeger hist. Syntax I. p. 612) Velleius 2. 14,1 intra paucas horas. 1. 16,3 intra biennium. 2. 110,2 intra paucos dies 2. 117,2 intra quinque dies. rarior loquendi ratio exstat 1. 5,3. intra mille natum esse. (= etwa vor tausend Jahren geboren sein.) et 2. 111,4 intra se furere.

Ob cum pronomine neutri generis coniunctum inde a Livio invenitur. (Draeger I. p. 592) Vell. 2. 112,1 ob id. 2. 115,2 ob ea.

Per ab argenteae latinitatis scriptoribus solis cum pronominibus aut adiectivis neutri generis substantivorum more positis coniungitur. Vell. 2. 94,3 per id. 2. 102,3 per quae.

mentio quoque facienda est locutionis *per omnia*, cui formulae exaggerationis valde studet Velleius. (Livius primus ea usus est.) 2. 31,1. 2. 33,1. 2. 35,2. 2. 40,2. 2. 69,6. 2. 79,1. 2. 93,3. 2. 100,3. 2. 125,5. 2. 127,1. 2. 130,5.

Penes alqm rarius dicitur de qualitate, quae inest in aliquo. (Draeger. I. p. 586) cf. Vell. 2. 30,6.

Post ab optimis scriptoribus numquam sumitur de dignitate aut gradu secundo. (Draeger I. p. 599) Velleius dicit 2. 99,1 civium post unum eminentissimus.

Ultra de tempore (= über hinaus) argenteae aetatis scriptores soli dixerunt. cf. Vell. 1. 2,7 odium ultra metum durat.

Usque, quod proprie est adverbium ab optimis scriptoribus tantummodo coniungitur cum accusativis urbium nominum; inde a Livio cum aliis quoque substantivis ponitur. Vell. dicit 2. 6,2 usque Alpes civitatem extendere.

Ab praepositio sequitur adiectivum *immunis*. 2. 12,3 ab arbitriis (Vell. Plin.)

Ex. hae duae locutiones, ex diverso. 2. 101,3. et ex insperato 2. 112,6 propriae sunt argenteae latinitatis neque in priorum libris exstant.

In finalem vim habet raro apud optimos scriptores, saepius inde a Livio. 2. 41,3 in hoc. 2. 47,4 in id ipsum. 2. 114,2 in hoc solum. 2. 68,4 in omnia cf. uti alqa re in alqd. 2. 41,2 somno et cibo in vitam non in voluptatem. 2. 118,2 segnitia ducis in occasionem sceleris. 2. 97,1 venalis in omnia

in praepositionis usus abhorret ab optima dicendi ratione his locis: 1. 9,2 in eo bello. 2. 24,2 in priore anno. 2. 44,4 in hoc consulatu. 2. 48,1 in secundo consulatu. 2. 115,5 in hoc tanto bello. 2. 116,1 in bello Delmatico. (ita recc.)

Sub c. abl. (— während, gegen) de tempore dicitur. (Poet. Liv. recc.) Vell. 2. 24,1 sub adventu Sullæ.

Super c. acc. significat inde a Sallustio modum excessum. Vell. 2. 130,1 super humanam fidem evehi.

caput VI.

De Pronominibus.

Ne in pronominum quidem usu multum abhorret Velleius a priorum loquendi consuetudine et pauca tantummodo hoc loco commemoranda sunt.

Pronomen possessivum Velleius saepissime substantivo per abundantiam addit, ut vis, quae apud optimos scriptores in eo inerat, paene periisse videatur. cf. 1. 16,1 nequeo temperare mihi, quin rem saepe agitatam animo meo signem stilo. 2. 120,6 Caldus Cælius complexus catenarum seriem, quibus vinctus erat, ita illas illisit capiti suo, ut etc. cf. 2. 22,1. 2. 29,4. 2. 41,4. 2. 43.2. 2. 82,3. 2. 88,3. 2. 124,4. saepius.

Pronomen demonstrativum hic, haec, hoc Velleius saepius quam priores et fere eodem modo quo is, ea, id posuit cf. 2. 41,3 idem postea ita se per omne spatium, quo ab his retentus est, apud eos gessit, ut pariter his terrori venerationique esset. 2. 62,2 laudati quicunque se his exercitus tradidissent.

cf. 2. 41,3. 2. 90,2. al. hic — qui pro is — qui invenitur 1. 2,2. 1. 8,3. 2. 50,3. 2. 64,1. 2. 80,2. 2. 87,2. (nescio quo iure Halmius omnibus his locis pro hic is pronomen in textum receperit.)

saepius *hic* cum *idem* pronomine coniunctum est. 2. 15,3. 2. 31,3. 2. 55,3. 1. 10,5.

Pronomen *is, ea, id* raro omittitur ab optimis scriptoribus si subiectum est eae constructionis, quae acc. c. inf. vocatur, saepius inde a Livio. (cf. Draeger. hist. Synt. § 454.) Vell. 2. 50,1. 2. 81,3. 2. 112,7. 2. 125,2.

Pronomem demonstrativum pro reflexivo legimus 2. 15,2. 2. 54,1. 2. 68,5. *reflexivum* pro *demonstrativo* 2. 56,1.

Pronomini relativo respicienti ad enuntiatum non ad vocem quandam Cicero *id* vel *ea* pronomen addere solet, Velleius iis locis numquam pronomen determinativum posuit. 2. 6,3 vetabat quemquam civem plus quingentis iugeribus habere, quod aliquando lege Licinia cautum erat 2. 56,1 Caesar, quod humanam excedat fidem, omnibus qui contra se arma tulerant ignovit. cf. 2. 102,1. 2. 130,4. saepius.

Pronomen *quisque* his locis non proprium tenet locum, id quod rarius apud priores invenimus: 2. 28,3 ut fieret quisque merces mortis suae. 2. 89,4 rediit cultus agribus, sacris honos, securitas hominibus, certa cuique rerum suarum possessio.

Uterque cum gen. substantivi coniunctum est: 2. 50,4 uterque legatorum. 2. 54,1 uterque summorum imperatorum. 2. 103,3 uterque adulescentium.

Alteruter idem est atque uterque 2. 43,2 alterutri fortunae se parans.

Uter—alter scripsit Velleius pro uter—uter 2. 90,3. per quinquennium diiudicari non potuit, uter populus alteri pariturus foret.

Si aliquid pro si quid invenies 2. 41,3.

Nullus non pro quisque vel unusquisque exstat 2. 114,2. instrumentum balinei nullius non succurrit valetudini.

caput VII.

De modis.

In oratione obliqua indicativus scriptus est, qui idem apud optimos scriptores invenitur. 2. 27,2 numquam defuturos raptores Italicae libertatis lupos, nisi silva in quam refugere solent, (Halmius: solerent.) esset excisa. 2. 94,2 Ti. Claudius Nero, qui protinus, quantus est, sperari potuerat, etc. cf. 2. 117,3.

Indicativum Velleius posuit discrepans ab optima dicendi ratione 1. 12,2. sub idem tempus, magis quia volebant Romani credere, quam quia credenda afferebantur, statuit senatus Carthaginem excindere. priores cum altero *quia* coniunctivum oniunxissent.

Coniunctivus sequitur particulam dum (= so lange als, während) 1. 2,2 sed hic insequentesque archontes usque ad Charopem, dum viverent eum honorem usurpabant. (*dum* particula cum perfecto coniuncta est. 1. 18,2 dum vixit. cum imperfecto 2. 63,1. dum erat sobrius. rarissime particulam ita usurpatam invenies apud priores.)

Coniunctivus pendet ex particulis *ubi, simul.* 2. 24,4 ubi vicisset. 2. 29,3 ubi vereretur. 2. 88,1 simul in urbem revertisset. 2. 88,1 ubi res vigiliam exigeret. simul aliquid remitti posset. (cf. Draeger hist. Synt. §. 507.)

Pronomina quicunque, quisquis a prioribus semper fere cum indicativo coniuncta sunt, a recentioribus saepius cum coniunctivo. cf. Vell. 1. 12,2 quidquid diceretur. 1. 17,4 quisquis temporum institerit notis. 2. 3,1. 2. 14,3. 2. 76,3. 2. 100,3. saepius.

His verbis priores aut raro aut numquam infinitivum adiungebant.

assuescere 2. 33,4. (inde a Livio.)

contingit. (usitatius est contingit, ut.) 2. 101,2. 2. 121,3. 2. 124,2 et. 4. (Verg. Horat.)

depudet 2. 73,3. (ἅπαξ λεγόμενον)

parum habere 2. 76,4.

indignari 2. 29,4. (Poet. Liv. Quint.)

merere 1. 5,1. (Propert. Ovid.)
obniti 1. 9,6. (Verg.)
placet 2. 77,2. 2. 110,1.(inde a Livio.)
proponere 2. 53,1. 2. 60,2.
sustinere 2. 22,5. 2. 40,4. 2. 81,1. 2. 86,2. (saepius inde a Velleio.)
vacare 2. 15,1. 2. 110,3. (inde a Vergilio.)
Infinitivus rarius sequitur haec adiectiva:
absurdus 2. 38,1. (Sallust.)
contentus 2. 103,5. 2. 112,6. 2. 120,6. (Ovid. Quint.)
familiaris 2. 30,3.
laetus 2. 71,4.
supervacaneum est 2. 36,2. (Sallust.)
tutum est 2. 110,3. (Liv. Propert. Quint.)
moris est cum inf. Velleius primus dixit. 2. 40,3. (priores: mos est.)

Porro mentio facienda est nonnullorum locorum, quibus rarior exstat infinitivi usus. 1. 8,3 tum Athenis perpetui archontes esse desierunt, coeperuntque in denos annos creari. (Cic. Caes. coepti sunt.) 2. 3,3 discordiae civium antea condicionibus *sanari solitae* ferro diiudicatae. 2. 118,1 *solita* armis *discerni* iure terminare.

Non multum abhorret Velleius in particularum *ut* vel *ne* usu a priorum dicendi consuetudine.

Repperi haec:
mereri ut 2. 130,5. *mereri ne* 2. 12,5. refragari ne 2. 40,5. (inde a Vell.)

Itaque Vellei quoque exemplo probatur infinitivum multo usitatiorem esse coepisse apud recentiores quam aurea aetate latinitatis, particulam *ut* autem saepe ab eo summotam esse, id quod imprimis a poetis profectum est.

Constructionem accusativi cum infinitivo optimi scriptores non coniunxerunt cum his verbis:
adiicio 2. 27,2. (Tac. Quint. Curt.)
in confesso est 2. 85,5. (Plin. Tac.)
instituo 2. 6,3. (Poet. Suet.)
contendo (= auf etwas bestehen, dringend verlangen) 2. 48,1.

praedico 2. 123,3.
praefari 2. 37,4. (inde a Livio.)
praetexere 2. 62,3. (Tac.)
speculari 2. 118,2.

caput VIII.

De particulis.

Restat illa opusculi pars, in qua de particularum apud Velleium usu, e quibus multas alia et ratione et significatione atque apud aureae latinitatis scriptores a recentioribus usurpatas esse, iam supra dixi, verba sunt facienda.

Qua quoque in re optimum esse puto singulas particulas, quae tractandae sunt, ex literarum initialium ordine enumerare.

Adeo non, ut pro tantum abest ut — ut (Cic. Cæs.) proprium est argenteae latinitatis. 2. 66,4 famam vero gloriamque factorum atque dictorum adeo non abstulisti ut auxeris. (cf. Tac. Ann. 6,15.)

huic locutioni simillima est illa 2. 67,1 huius totius temporis fortunam *ne* deflere *quidem* quisquam satis digne potuit, *adeo nemo* exprimere verbis potest. qui usus particulae invenitur apud Velleium, Tacitum, Curtium, qui praeeuntibus verbis *ne quidem* aut *quoque* ita posuerunt *adeo* particulam, ut signet tanto magis. (adeo non tanto minus vel nedum.)

Alioqui vel *alioquin* (= sonst, ausserdem) non invenies apud optimos scriptores, sed inde a Livio. Vell. 2. 7,3 vir alioqui sanctus. 2. 33,1 alioqui per omnia laudabilis. 2. 33,4 summus alioqui vir.

At particula Velleius nonnumquam eadem ratione posuit qua *sed* vel *autem* in narratione, quamquam minime res alteri opponitur, id quod imprimis apud poetas et argenteae latinitatis scriptores invenimus cf. 2. 5,3 hic virtute ac severitate facti, at Fabius Aemilianus Pauli exemplo disciplina in Hispania fuit clarissimus. cf. 2. 32,4. 2. 64,3. 2. 87,1. 2. 112,4. saepius.

Cetera (übrigens, im Uebrigen. τἆλλα, τὰ λοιπά). 2. 46,2 cetera sanctissimus. 2. 119,4 cetera quietus. (Poet. Liv. raro Cic.)

Ecquando cum particula *ne* coniunctum rarissime inveniri Draeger confirmat. (hist. Syntax I. p. 318) Vell. 2. 14,2 ecquandone similem mei civem habebit res publica?

Et pro etiam exstat 1. 2,4. ea tempestate et Tyria classis Gadis condidit. 1. 4,3 nam et Iones profecti Athenis partem regionis maritimae occuparere. 1. 9,2 1. 18,1. 2. 9,4. celebre et Lucilii nomen fuit. 2.65,1. 2. 111,1. 2. 114,3. (saepius ita particula usi sunt Livius et recentiores.)

et pro neque in enuntiato negativo dixit Velleius 2. 108,2. Maroboduus non tumultuarium neque fortuitum neque mobilem *et* ex voluntate parentium constantem occupavit principatum.

et saepius quam apud priores transitionibus servit; nonnumquam autem cum vi quadam pro *re vera, profecto,* similibus, positum est. cf. 2. 4,2. 2. 5,2. 2.58,4. etc.

Itaque particulam inde a Livio saepius secundo atque tertio loco enuntiati positam invenies. secundum locum apud Vell. tenet 2. 37,3. 2. 53,2. 2. 60,2. 2. 111,4. 2. 118,4.

Mox Velleius aequalium exemplum secutus saepissime pro deinde posuit. 1. 1,2. 1. 4,4. 2. 7,2. 2. 14,3. etc.

primo — mox. 2. 30.5. 2. 55,1. 2. 82,1. 2. 118,3.

prior — mox. 2. 37,3.

Namque et *etenim* particulae, ut raro ab aureae aetatis scriptoribus usurpatae sunt, ita apud Velleium semel exstant. 2. 86,3. (namque) 2. 102,3. (etenim.)

Ne particula rarissime partes interrogationis disiunctivae inter se copulat; bis apud Velleium ita adhibitam invenimus. 2. 40,1 secuta deinde Cn. Pompei militia, gloriae laborisne maioris incertum est. 2. 90.3 per quinquennium diiudicari non potuit Hispanis Romanisne in armis plus esset roboris.

Perquam (= sehr, gar sehr), quae particula non multorum scriptorum in usu est, Velleius saepius adhibuit. 2. 31,1 perquam laudabiliter iurare. 2. 96,2 bellum perquam vicinum imminebat Italiae. 2. 101,2 perquam clarum spectaculum. 2. 113,3 perquam laboriosum iter.

Proinde particulam, quam optimi scriptores nusquam nisi in adhortatione aut in comparatione adhibuerunt, Velleius alia quoque ratione posuit. 2. 37,4 proinde (deswegen) omnem sibi vel adversam vel secundam fortunam tolerabilem futuram.

Qua est in so weit, in so fern. 2. 37,2 Tigranes rex eius ,temporis nisi qua Luculli armis erat infractus, potentissimus. ita plerumque recentiores hanc particulam admiserunt.

Quando (= da, weil). 2. 14,1 tum conversus Drusi animus, quando bene inceptamale cedebant. 2. 52,6. (pro quando Halmius et Haasius *quam quod* legi volunt.) hac significatione quando particula apud Ciceronem ter exstat. (propriam vim habet apud Vell. 2. 53,2. 2. 126,3.)

Quatenus pro quia invenies apud solos argenteae latinitatis scriptores. Vell. 2. 68,4 quatenus autem aliquid ex omissis repeto. (propria significatione exstat 2. 114,3.)

Que idem est ac quoque iis locis, quibus cum hodie adv. coniunctum est. (= noch heute) 1. 4,2. et 3. 1. 11,3. 2. 8,3. 2. 25,4. 2. 27,5. 2. 61,3. 2. 81,2. 2. 98,1. (cf. Draeger hist. Syntax II. p. 43.)

que eodem modo quo *et* transitionibus inservit, cum saepissime enuntiata *que* particula cum antecedentibus coniuncta sint. cf. 2. 65,2. 2. 66,2. 2. 69,6. 2. 87,2. 2. 109,3. saepius.

que cum quasdam pronomine (acc.) coniunctum apud Velleium solum inveniri Draeger confirmat. (hist. Syntax II. p. 35.) (hae compositiones particulae que et pronominis relat. facile cum *quisque* pronominis formis confundi possunt: quique 1. 11,3. 2. 20,5. 2. 113.1. 2. 117,3. cuiusque 2. 96,1. cuique 2. 35,1. quodque 2. 113,2.,

que pro *atque* particula sequitur vocem pariter. 2. 41,3 et pariter iis terrori venerationique esset. 2. 120,6 pariter sanguinis cerebrique effluvio exspirare.

Protinus (sofort, sogleich) inde a Livio in usu versari coepit. Vell. 2. 104,3.

Quin—quoque pro *quin—etiam* exstat. 1. 9,2 2. 94,4. (ita recc.)

Subinde (= darauf) Livius primus dixit, deinde saepius

invenitur. Vell. 2.65,1 cum Antonius subinde Caesarem admoneret. 2. 96,2 subinde bellum Pannonicum per Neronem gestum est.

In tantum ut (cf. in tantum—in quantum) est locutio Velleii propria pro *adeo ut* 2. 30,6. 2. 55,3. 2. 79,6. 2. 91,3.

Particulae inter se respondentes.

Hic—illic 2. 49,2 hic omnia speciosa illic valentia. (Verg. Quint.)

Hinc—illinc 2. 84,1 hinc remiges firmissimi, illinc inopia adfectissimi. (inde a Livio.)

Jam—jam. non ita saepe usurpatum est, nusquam ante Vergilium. Vell. 2. 114,2 iam medici, iam apparatus cibi, iam in hoc solum una portatum instrumentum balinei nullius non succurrit valetudini.

Interdum—interdum Velleius solus videtur scripsisse. 2. 109,2 interdum ut supplicem commendabant, interdum ut pro pari loquebantur.

Nunc—nunc apud Lucretium uno loco exstat, postea inde a Livio in usu est. Vell. 1. 17,6. 2. 2,1. 2. 79,1. 2. 98,2.

Que—et (sowohl als auch) non exstat apud Cic. et Caes. saepius his particulis est usus Velleius. 2. 3,1 privatusque et togatus 1. 7,2. 2. 25,3. 2. 77,1. 2. 89,4. 2. 128,4.

Que—que (rarior locutio) exstat 1. 4,3. Jones urbesque constituere multasque insulas occupavere. 2. 16,4 utque ad saga iretur, diuque in eo habitu maneretur. 2. 113,1 excercitus, quique sub Caesare fuerant, quique ad eum venerant.

In tantum—in quantum Velleius solus dixit 1. 9,3. 2. 43,4. 2. 114,5.

Non tantum—sed (nicht nur—sondern auch) dixit Velleius 2. 84,4. nec tantum in eos, qui contra arma tulerant, sed in multos insontes saevitum. 2. 100,4 non tantum incolumitate donare sed sacerdotio. Cicero dicit: non modo—sed, idque perpaucis locis. (cf. Draeger II. p. 99.)

Non tantummodo — sed quoque exstat. 2. 110,5. omnibus

autem Pannoniis non disciplinae tantummodo sed linguae quoque notitia Romanae. (ita recc.)

Non — sed quoque rarius dictum est. Vell. 2. 22,2.

Ut — ita in deliciis est Velleio et saepius quam vicies scripsit. bis pro his particulis exstat *quemadmodum — ita* 1 16,2. 2. 11,3. *ut — sic* dixit Vell. 2.129,3.

Haec habui, quae de particulis singulis dicerem; ex iis autem quae contuli, facile intellegitur, in nulla re recentiores magis ab optima dicendi ratione dissensisse quam in particularum usu et iis imprimis linguae ruinam damno atque, ut ita dicam, perniciei fuisse. adde hoc, ex quo rem ita se habere, optime elucebit. sunt loci, quibus duae particulae idem significantes per abundantiam coniunctae inveniuntur, ita ut vel unius vel alterius vis omnino interiisse videatur. cf. 2. 23,3 *ac deinde post* 2. 70,4 *post* paucos *deinde* dies. 2. 117,1 in hoc *saltem tantummodo.* abundantia in hoc quoque loco inest 2. 4,1. *interim, dum* haec geruntur. minimae curae Velleio rectum particularum usum fuisse, inde quoque cognoscimus, quod alias crebrius admisit, ut: quippe (plus quam quadragies invenies.) ut — ita, adeo ut, tum, al. alias autem seu rarissime seu numquam adhibuit: sive, quoad, nempe, donec, etc.

Contemptio quaedam legum, quas priores in particulis ponendis adhibuerunt, apparet ex his quoque locis: 2. 3,4. non enim ibi consistunt exempla, unde coeperunt. (pro neque enim.) 1. 33,3 nam neque Pompeius quemquam omnino parem tulit. 2. 119,4 non enim desertor superfuit, sed desertor occidit. 1. 13,5 non tamen puto.2. 121,1 aequus quam. 2. 55,2 non dissimilis quam.

Cum particularum usu artissime sententiarum comprehensiones et periodi cohaerent. priores enim summo opere semper id studebant, ut enuntiata singula aptissimis particulis inter se necterent, ut facile, quomodo unum enuntiatum ex altero profectum esset, cognosceretur. recentiores autem hanc rem neglexerunt. ex numero eorum etiam Velleius est, qui plerumque aut tardis periodis aut brevibus enuntiationibus, quae dicere volebat, literis mandavit, non ita studiosus sententiarum inter se coniungendarum. atque etiamsi festinatione, qua lib-

rum composuit, multa orationis vitia peccataque excusantur, tamen alia ex communi illa recentioris aetatis indole usuque orta esse certe nemo negabit. conclusiones praecisae et minime inter se cohaerentes saepius inveneris. cf. 1,1. 1. 4. 2. 1,1. 2. 8,3. 2. 31,4. 2. 49,3. 2. 90,1. 2. 111,1—2. etc. plures autem periodi difficiles atque impeditae exstant, in quibus et multis interiectis enuntiationibus relativis et cumulatis adiectivis aut participiis atque parenthesibus subiectum a praedicato seiungitur. cf. 1. 12,4-5. 2. 2,1-3. 2.11. 2. 13. 2. 15,2-3. 2. 18,1-3. 2. 19,2. 2 41,1-3. 2. 43,4. 2. 68,1. 2. 84,3. 2. 121,1-3. al. enuntiationes plerumque particulis *et* aut *que* tarde ac graviter inter se coniunguntur, (cf. 2. 18,5. 2. 49,2-3. 2. 109,1-2. saepius.) aut nulla omnino particula cum antecedentibus connexae sunt. (cf. 2. 12,2. 2. 30,4. 2. 60,4. al.)

eidem neglegentiae tribuendum esse puto, quod Velleius pro *relativo pronomine*, quod optimi scriptores semper maluerunt poni initio enuntiationum, *demonstrativum* admisit. cf. 1. 8,1. 1. 14,1. 2. 15,3. 2. 20,4. (*is cum pro qui cum*) 2. 40,4 (id ille pro quod ille) etc.

Sed de hac re non iam verba mihi facienda esse puto.

De Graecissmis.

Graeca lingua, eiusque ratio, quam optimi iam scriptores non semel imitati sunt, argentea aetate maxime increbuit; quod, quin maximo momento fuerit ad linguam latinam commutandam atque depravandam nemo est, qui dubitet. recentiores enim, cum antiqua atque obsoleta existimarent, quae priorum in usu fuerant semperque novis rebus studerent, maxime delectabantur ea loquendi ratione, quae latinam linguam graecae quam simillimam reddere voluit et illius volubilitatem vel velocitatem atque brevitatem, quam in ipsorum dicendi consuetudine saepe desiderabant, ad hanc transferre studuit.

Itaque meum quoque esse puto Graecismos, qui quidem apud Vell. inveniuntur, hoc loco enumerare, tametsi numerus eorem non tantus est, quantus apud poetas, qui Augusto im-

peratore vixerunt aut apud Tacitum aliosque posterioris aetatis scriptores. (cf. Draeger. hist. Syntax praefatio p. XVII.)

Pravam vero illius aetatis consuetudinem cognoscimus ex ipsa declinatione vocum graecarum; nam cum priores eas plerumque aeque ac latinae linguae verba flecterent, tum Graecorum more declinabantur, id quod elucet ex his exemplis:

Agamemnon 1. 1,2. Alcmaeon 1. 8,3. (apud Cic. haec verba exeunt in *o* vocalem: *Agamemno.*) Gen. Hermiones. 1. 1,3. Eupolide abl. ab Eupolis 1. 16,3. (Cic. Brut. 9,38. et ad Att. 12. 6,3. scripsit Eupolis, is.) 1. 6,2. Semiramide.

Accusativi Graecorum more flexi sunt: 1. 4,1 Chalcida. (priores Chalcidem.) 1. 6,4 Dido. (usitatiores antea erant formae Dido, Didonis, Didonem.) 1, 10,1 Persen.

tria verba graeca in latinam linguam transtulit Velleius: dynastes 2. 31,1. naumachia 2. 56,1. tetrarches. 2. 51,1.

Graecorum linguae imitationi porro tribuendus est adiectivorum vel participiorum pro substantivis positorum usus. (cf. Naegelsbach. Lat. Stil. § 75.) exstant apud Velleium haec adiectiva et participia masculini generis singulari numero posita: (omitto usitatiora illa ut: aequalis, bonus, familiaris, privatus, parens, candidatus, al.) humilis, humilior 2. 126,3. inermis 2. 80,4. mortuus 2. 21,4. vivus 2. 21,4. expertus 2. 118,1. evocatus 2. 70,2 et 3. potens 2. 126,3. scribens 2. 41,1. Participia Fut. Act. autem numquam antea ita adhibita inveniuntur (cf. Naegelsbach. Lat. Stil. p. 91) Velleius dixit 2. 101,1 ut nec laudaturum magna nec vituperaturum mediocris materia deficiat.

Adiectiva fem. gen. sunt:

aemula 1. 12,6. 2. 1,1. continens 1. 3,3. pacta 1. 1,3. togata 1. 9,3.

Adiectiva neutri generis sing. num. apud omnes scriptores inveneris; (plerumque cum praepositionibus coniuncta sunt.) frequentiora inde a Livio. apud Velleium repperi haec: 1. 17,2 inventum. 2. 32,5 raptum. 2. 16,2. 2. 23,4 verum. 2. 68,1 praeteritum. 1. 8,2. 2. 123,1. ludicrum 1. 10,1. 2. 68,3. inceptum 2. 3,4 rectum. cum praepositionibus coniuncta exstant haec:

1. 13,1 in artum contrahere. 1. 16,1 rem ad liquidum perducere. 1. 17,6 in summum ascendere. 2. 3,4 in praeceps pervenire. 2. 21,3 ad ultimum confligere. (cf. 2. 48,5.) 2. 41,3 ex solito variare. 2. 43,2. ex longinquo. 2. 48,4 in medio relinquere. 2. 70,2 in vicino esse. 2. 85,4 in longum durare. 2. 85,5 in confesso esse. 2. 100,3 pro licito vindicare. 2. 101,2 ex diverso stare. 2. 109,2 ex male dissimulato. 2. 112,6 ex insperato. 2. 118,4. ex merito aestimare.

haec quoque locutiones hoc loco commemorandae sunt. 2, 74,4 in id. 2. 41,3 in hoc. 2. 114,2 in hoc solum. (εἰς τοῦτο μόνον.) cf. p. 42.

Etiam comparativum gradum Velleius omnino a priorum dicendi consuetudine abhorrens ita posuit. (cf. Naegelsbach p. 71.) 1. 17,2 nec poetarum in antiquius citeriusve processit ubertas. 2. 123,1 quamquam iam motus imbecillitatis inclinataeque in deterius principia valetudinis senserat.

Plurali numero adiectiva vel participia masc. gen. substantivorum loco usurpata haec inveniuntur:

2. 47,3 adversantes. 1. 9,6 altissimi. 2. 80,4 armati. 2. 53,2 calamitosi. 2. 13,4 conducentes. 2. 80,4 confluentes. 2. 6,4 digni. 2. 119,5 diserti. 2. 7,4. dispositi. 2. 110 electi. 1. 2,2 ignavi. 2. 22,2 mediocres. 2. 11,2 negotiantes. 2. 128,3 nobilissimi. 2. 51,2 obsessi, obsidentes. 2. 115,2 obsistentes. 2. 108,2 parentes. 2. 72,5 proscripti. 2. 91,3 simillimi. 2. 40,4 triumphantes. 1. 12,7 victi.

Saepissime autem ab omnibus scriptoribus adiectiva neutri generis. plurari numero pro substantivis posita sunt, quorum apud Velleium quoque permagnum numerum invenies;

acriora 2. 6,2, acta 2. 44,2. altissima 1. 9,6. ancipitia 2. 125,4 aspera 1. 17,1 audita 2. 92,5. aversa 2. 63,1 avia 2. 75,3. cogitata 2. 13,3. commoda 2. 13,2. conata 2. 29,1. 2. 35,5. 2. 42,1. consulta 2. 18,6. 2. 88,3. contraria 2. 75,2. dextera 2. 40,1. dicta 2. 66,4. digna 2. 71,3. diversa 2. 52,1. 2. 60,5. 2. 75,2. 2. 80,2. eminentia 2. 40,5. ferocia 2. 115,3. exspectata 2. 75,2. extraordinaria 2. 31,4. gloriosa 2. 110,3. humilia 2. 60,2. ima 2. 2,2. incepta 2. 14,1. insignia 2. 20,4. interiora 2. 110,3. intima 2. 40,1.

maiora 2. 6,2. 2. 13,2. 2. 88,2. malefacta 2. 13,3. mira 2. 61,1. necessaria 1. 16,1. 2. 110,3. nova 2. 129,2. offensa. 2. 29,3. omissa 2. 68,4. pauca 2. 38,1. perniciosa 2. 125,4. plurima 2. 114,3. praecipitia 2. 10,1. 2. 120,7. praesentia 2. 75,1. praeterita 2. 92,5. prava 2. 6,4. 2. 10,1. 2. 126,3. proposita 2. 45,1. recta 2. 29,4. 2. 126,3. rectissima 2. 125,5. reliqua 2. 123,1. rudia 1. 17,1. scripta 2. 66,5. singula 2. 129,1. solita 2. 118,1. speciosa 2. 113,2. summa 2. 2,2. 2. 60,2. 2. 61,1. 2. 76.4 supervacua 1. 16,1 ulteriora 2. 105,1 utilia 2. 113,2. utiliora 2. 84,2. vera 2. 72,3. visa 2. 92,5.

Sed fere numquam hoc modo aureae latinitatis scriptores participia futuri passivi adhibuerunt. at Velleius 1. 12,2 credenda afferre. 2. 130,3 dolenda adhuc retulimus: veniendum ad erubescenda est. 2. 56,4 audenda.

Raro id quoque accidit, ut haec adiectiva eos casus obliquos habeant, qui nullam habent masculini generis a neutro distinctionem. Velleius saepius. 1. 9,6 altissimis adhaerere. 2.73,1 speciosis invidens. 2. 75,2. 2. 110,3. 2. 113,2. 2. 79,1. 2. 56,4. etc.

Abl.: in externis morari. 2. 68,4. ex omissis alqd petere 2. 83,2. 2. 92,5. 2. 53,2. etc.

E graecae linguae imitatione ducendum etiam id est, quod ex iisdem adj. sive masc. sive neutr. gen. genetivus partitivus pendet, id quod apud priores rarius invenies. cf. 2. 110,2 a primis hostium 2. 80,3 ab aliis veteribus Romanorum ducum. 2. 40,1 dextera atque intima Ponti incolere. 2. 52,3 tantum profusum sanguinis. 2. 123,1 plurimum metus. 2. 62,3 plurimum honoris. 2. 63,1 per aversa castrorum. 2. 75,3 per avia itinerum 2. 107,1 ad medium fluminis procedere. 2. 123.2 reliqua belli. huc referenda etiam sunt 1. 3,2 id nominis usurpare 2. 4,6 id temporis. 2. 80,2 ad id furoris procedere.

Graecorum more Velleius adiectiva pro adverbiis posuit: 2. 70,3 cervicem interritus liberto praebuit. 2. 107,3 tum diu tacitus contemplatus Cæsarem—inquit etc.

Substantiva adverbiis definita atque descripta repperi haec: 1. 10,1 'Antiochus tum rex Syriae (= ὁ τότε βασιλεύς) 2. 46.4. C. Cassius tum quaestor Syriæ. 2. 66,3 conservator

quondam rei publicae 2. 69,6 tantus mox vir.

In casuum constructione Græcorum loquendi rationem sequuntur adiectiva relativa, quae dicuntur, quorum numerum multo maiorem apud hunc scriptorem quam apud prioris aetatis repperi. exstant haec: (ut omittam iam ab optimis scriptoribus usitata ut: cupidus, peritus, memor, etc.) 1. 3,1 acer belli. 2. 93,3 capax fortunae. cf. 2. 127,3. laboris et fidei. 2. 7,2 immunis delictorum. 2. 11,1 immodicus gloriae. 1. 12,5 invisus noxiae. 2. 110,2 insolens pacis. 2. 93,1 laetus animi. 2. 63,2 irritus consilii. 1. 12,4 modicus virium. 2. 65,1 potens legionum. 2. 48,3 prodigus fortunae et pudicitiae. 2. 109.4 securus incrementi. 1. 18,3 sterilis studiorum. 2. 29,3 tenax amicitiarum. cf. 2. 84,2 exempli.

Aliud Graecismorum genus cernitur in genetivis, qui pendent ipsi ex aliis genetivis, qui quidem multi apud Graecos inveniuntur, pauci apud Romanos iisque tantummodo locis, quibus alter genetivus pronominis est. (cf. Bernhardy. wissenschaftl. Syntax der griech. Sprache p. 162.) 1. 12,5 ullius eius temporis noxiae invisa (sc. Carthago.) 1. 40,1 ultimus omnium iuris sui regum. 2.34,2 aliorum utriusque ordinis virorum. cf. 2. 52,3. 2. 50,4. 2. 60,1. 2. 76,1. 2. 89,1. etc.

tres genetivi inter se coniuncti leguntur his locis: 2. 28,1 proeliis partium eius viri hostium exercitum fuderant. 1. 1,3 nam quod pactae eius Menelai atque Helenae filiae Hermiones nuptias occupaverat. 2. 21,3. 1. 18,2. etc.

Genetivus causalis eodem modo quo τοῦ. c. inf. apud Graecos usitatum est, exstat 2. 20,3 opus erat partibus auctoritate, cuius augendae gratia C. Marium cum filio de exilio revocavit. (cf. Draeger. Syntax und Stil des Tac. § 205.)

In dativi usu commemorandus est dativus praedicativus. 2. 124,4 quo tempore mihi fratique meo destinari praetoribus contigit.

Accusativi graeci exstant haec exempla. 2. 46,2 cetera sanctissimus. 2. 119,4 cetera quietus. 2. 41,2 dissimilem fortunae suae indutus habitum. 2. 83,2 caput redimitus arundine.

Graecorum sermoni haec quoque locutiones accommodatae

esse mihi videntur. 2. 95,5 censorem implere. (= das Amt eines Censors bekleiden.) 2. 83.2 Glaucum saltare.

Graecorum loquendi consuetudinem secutus Velleius his verbis passive positis medialem significationem dedit:

advolvi genibus alcjs 2. 80,4 vor Jemand niederfallen.
collidi 2. 53,2 zusammenstossen.
excalceari 2. 41,3 die Schuhe ausziehen.
submitti 2. 37,4 sich unterwerfen.
(cf. quoque appelli, landen. 1. 1,1. 2. 107,3. discingi, seine Kleider ablegen. 2. 41.3 effundi, hereinbrechen. 2. 12,3. quae verba iam apud priores ita adhibita invenies.)

Verba decomposita, quae item ex Graeca lingua ducenda sunt, Velleius scripsit haec:

repraesentare 2. 89,2. (Cic. Caes.)
subrefectus 2. 123,3. (subreficio.)

Graecae linguae imitationi illud quoque tribuendum est, quod infinitivus argenteae latinitatis aetate multo saepius usurpatur quam antea. Sed cum supra (p 46) iam de hac re verba fecerim hoc, loco eius mentionem fecisse satis est.

Alius est Graecismus, quod participiis particulae quaedam adduntur, quae, quomodo illa intellegenda sint, indicant (cf. ὅτε, ὡς, καίπερ,κ.τ.λ.) 2. 12,1 ut praecaventibus fatis. 2. 41.1 quamlibet festinantem. 2. 44,1 diverso quamquam tempore. 1. 47,3 velut reconciliatis sibi optimatibus. 2. 64,4 ut satiato Antonio. 2. 100,5 quasi cuiuslibet uxore violata. 2. 109,3 tamquam in omnes semper venturus. 2. 117,1 velut indulgente ortuna. cf. quoque 2. 21,3. 2. 26,2. 2. 27,3.

De sermone plebeio.

Restat, ut Vellei orationem nonnullis in rebus vulgari loquendi consuetudine depravatam esse demonstrem. qua de re iam Kritzius verba fecit; (Prolegg. p. LXXII—LXXV.) sed modum excedere mihi videtur, cum permulta quae ex scriptoris festinatione orta esse facile intellegimus, familiaris sermonis neglegentiae tribuit.

Affert ille primum nonnullos locos, quibus simplex subiecti et obiecti ratio quodammodo obscurata est aut impedita. cf. 1. 4,2 utriusque urbis eximia semper in Romanos fides facit eas nobilitate atque amoenitate sua dignissimas. 2. 4,4 hic, eum interrogante tribuno Carbone, respondit. 2. 24,5. 1. 2,1. 2. 19,4

Aliam sermonis familiaris consuetudinem in ea re cerni vult Kritzius, quod vel aliquid redundat vel deficit, sed ita ut neque illa dicendi copia neque haec breviloquentia appellari possit. cf. 2. 49,5 ut deinde spretis omnibus, quae Caesar postulaverat, *tantummodo contentus* cum una legione titulum provinciae retinere decrevit. 2. 7,7 in legibus Graecchi inter sterniciosissima numeraverim. 1. 10,5 nam alterum ex suis, quos in familia retinuerat, liberis amisit. 2.7,1. 2. 6,3. 2. 96,3. 1. 104,1. 2. 39,6. 2. 80,2

Tum dicit sermonis familiaris vestigia in verborum collocatione apparere, id quod mea quidem sententia rectius poetarum imitationi tribuitur. (cf. supra p. 23.) cf. 2. 1,3. 1. 13,4 2. 50,1. 2. 100,1 2. 111,3. etc.

Sed iam dixi omnibus ex his rebus minus sermonis vulgaris consuetudinem quam festinationis, qua Velleius librum composuit, vestigia cognosci.

Negligentiae autem familiaris sermonis tribuendum esse equidem puto, quod Velleius non semel prohibitivum, qui dicitur, cum *non* pro *ne* particula coniunxit, id quod apud aureae aetatis scriptores fere nusquam invenies. 2. 9,6 sane non ignoremus. 2. 12,6 non tamen huius consulatus fraudetur gloria. 2. 26,3 non perdat nobilissimi facti gloriam Calpurnia. 2. 116,3 utinam non testatum esset.

Sed alia quoque sunt, ex quibus intellegi potest, in corruptam latinae linguae integritatem nonnullis in rebus in quinatam esse vulgari sermone.

Imprimis sermonis familiaris proprium est, quod verba frequentativa pro simplicibus usurpat, id quod studio quam gravissime vel fortissime loquendi commotum facere eum satis constat. (cf. Lorenz. Plaut. Most. p. 385.) invenitur autem apud Velleium magnus verborum frequent. numerus.

adventare 2. 59,6. affectare 2. 39,1. assentari 2. 48,1. captare 2. 50,3. 2. 129,1. clamitare 2. 85,4. consultare 2, 24,5. dictitare 2. 27,2. 2. 57,1. 2. 58,2. 2. 60,2. indicare 2. 61,3. 2. 102,1. 2. 118,4. ostentare 1. 4,2. 2. 18,2 pollicitari 2. 11,2. quaeritare 1. 4,3. repensare 2. 12,5. 2. 21,4 (cf. p. 30) respectare 2. 107,2. sustentare 2. 6,6. 2. 104,2. 2. 114,1. venditare 2. 63,3. vocitare 1. 3,1.

Aliud est quod argentea aetate adiectivorum exeuntium in *bilis* syllabas numerus multis augetur, quae ex sermone plebeio recepta sunt. (cf. Rebling: Charakteristik der röm. Umgangssprache). apud Velleium primum exstat *inimitabilis* 2. 97,3. alia quae inde a Livio in usu versantur haec sunt: commendabilis 2. 9,6. inexsuperabilis. 2. 32,4. favorabilis. 2. 34,2 2. 40,2. innumerabilis 2. 46,1.

Porro ex familiari sermone ducendus est ablativi pro accusativo usus ad temporis diuturnitatem significandam. 1. 1,4 regnare triennio. 1. 6,1 imperium obtinere annis mille septuaginta. 1. 7,3. 2. 44,5. 2. 102,5. 2. 114,3 saepius.

Tum Rebling (p. 12 et 13) gerundii usum participii aut sententiae loco, quae enuntiationi adiuncta est item ex sermone vulgari ortum esse, confirmat. (cf. Winkelmann: Jahrbücher für class. Philologie. Supplem. Bd. II. 1833. p 504.) 2. 1,5 sed Pompeium gratia impunitum habuit, Mancinum verecundia poenam non recusando perduxit huc, ut etc. 2. 120,3 L. Aprenas exercitum immunem tanta calamitate servavit matureque ad inferiora hiberna descendendo vacillantium gentium animos confirmavit.

Aeque sermonis plebei proprium est, quod verba activa pro deponentibus et deponentia pro activis usurpat; (cf. Rebling p. 15. Draeger, hist. Syntax § 90.) in quod vitium Velleius quoque incidit: cf. *auspicatis* ominibus 2. 79,2 (auspicari). fabricare dicit Vell. 2. 27,4. 2. 79,2. (Cicero semper *fabricari*.)

frustratus spe. 2. 21,3 mox intellexit esse frustratum visum suum 2. 43,1. frustratis custodibus 2. 87,1 (Cic. *frustrari*.)

testatum est (testari) es ist bestätigt worden 2. 115,2. 2. 116,3.

